

5.26.23,

LIBRARY OF THE THEOLOGICAL SEMINARY

PRINCETON, N. J.

Division.....BR

Section.....60

.A37

v. 1-2

ÁNECDOTA MAREDSOLANA

VOL. II

PERMISSV SVPERIORVM

✓
ANECDOTA MAREDSOLANA

VOL. II

SANCTI ✓ CLEMENTIS
ROMANI

ad

CORINTHIOS EPISTVLAE
versio latina antiquissima.

EDIDIT

D. GERMANVS ✓ MORIN

Presbyter et monachus Ord. S. Benedicti.

MAREDSOLI
apud Editorem.

OXONIAE apud J. PARKER & soc. Bibliopolas.

1894

BRVGIS. E TYPOGRAPHEO DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.

IN MEMORIAM

EGREGII AC DESIDERATISSIMI

PAVLI SAVI

24

PRAEFATIO.

Mirum sane erudit quantum studii superioribus annis consumpserint in Epistula Clementis Romani: immo nemini mirum, qui summam viri antiquitatem paremque apud priscos Christianos opusculi auctoritatem meminerit. Neque id sine eventu fuit: cum enim textus Epistulae usque ad nostram aetatem ex codice uno Alexandrino hauriendus esset, eoque vetustissimo quidem, sed partim tineis obeso, partim ob deperditum folium lacuna magna laborante, intra hos viginti annos contigit ut Philotheus Bryennius, metropolita Serrensis (nunc Nicomediensis), Constantinopoli in bibliotheca monasterii patriarchalis Hierosolymitani alterum codicem inventiret a. MLVI scriptum, cuius ope illas codicis Alexandrini rimas, omnibus qui in huiuscemodi studiis versantur plaudentibus, tandem explevit. Porro vix ille opus typis vulgaverat, cum ecce iterum integra Epistula reperitur in codice Syriaco, quem a. MCLXX a monacho Edesseno exaratum Universitas Cantabrigiensis nuper sibi comparavit. Nec mora, faciles divitias certatim invasere ex Germanis praecipue et Anglis doctissimus quisque, O. de Gebhardt, Ad. Harnack, Ad. Hilgenfeld, X. Funk, et prae ceteris

nominandus I. B. Lightfoot; qui quidquid ad Clementis libellum adtinet tanta diligentia tractaverunt, ut posteris vix quidquam agendum reliquisse videantur.

Illi ergo argumentis nihil fere dubii relinquenteribus collegerunt, genuinam ad Corinthios Epistulam in occidentali ecclesia inde a saeculo quinto usque ad saeculum septimum decimum incognitam fuisse: eos vero qui inter Latinos post Hieronymum de Clementinis epistulis mentionem faciunt, de subditiciis ad Iacobum scriptiunculis constanter cogitasse.

Excipiendus tamen erat Iohannes Romanae Ecclesiae diaconus, qui post medium saec. vi “Expositum” quoddam in Heptateuchum concinnavit ex operibus Patrum: in quo inter cetera laudatur locus ex authentica “epistola sancti Clementis ad Corinthios” §§ 43-44 desumptus. Coniecit quidem editor Card. I. B. Pitra, in Spicilegio Solesmensi t. I, p. 293, et Proleg. p. LVII, fragmentum illud esse veteris versionis latinae quam S. Paulinus Nolanus confecisset. Verum quae ille adduxit argumenta, infirma merito censentur ad probandum.

Nam quod Paulinus ipse Epist. 46, ap. Migne 61, 397, testatur se “in translatione sancti Clementis” laborasse, quodnam Clementis opus, immo quis ille Clemens fuerit, Romanusne, an Alexandrinus, plane non constat. Quod vero Gennadius Massiliensis “cap. 48 diserte teste-

tur a Paulino Nolano conditam fuisse Clementinam versionem, " nemo adhuc compertum oculis habuit. Ceterum nihil impedit quomodo dicamus verba Clementis a Iohanne ipso conversa esse ex graeco, et paraphrastice prolatata.

Igitur ad hoc aevi in incerto habebatur, unquamne latinitate donata esset Clementis Romani Epistula ante versionem Oxonii anno MDCXXXIII a Patricio Iunio editam. De qua re audiendus est vir sollertissimus I. B. Lightfoot, qui postquam singula monumenta cum editatum manuscripta accuratius exploraverat, ita demum sententiam dixit : nihil unquam a se inventum, quod indicio sit Epistulam ante saec. XVII latine expressam esse ; quod si aliquando huiusmodi translatio confecta sit, OBSIGNATUS ECCLESIAE OCCIDENTALI LIBER fuerit oportere, " it must have been a sealed book to the Western Church. " (The Apostolic Fathers I, 146.)

Atqui in illum ipsum librum quasi fortuito nuper incidi, ipsumque communis commodi causa resignare placet, postquam tamen de translationis indole et de codice qui eam repreäsentat paucis praefatus ero.

Ab hoc, si lubet, capiamus exordium. Est igitur volumen maioris seminarii Namurcensis, nulla nota signatum, saeculo undecimo exaratum, et constat pergamini foliis cxxvii, 0,305 alt.,

0,210 lat. : cuius origo facile innotescit ex his verbis quae in fronte praeposita sunt:

LIBER SANCTI IOHANNIS BAPTISTE
FLORINENSIS CENOBII.

Est autem vicus, cui nomen Florinae (Florennes), in provincia Namurcensi, sesquimiliari a Philippopoli situs. Ibi saeculo undecimo ineunte monasterium fundatum est a Gerardo Remensis ecclesiae canonico, et ab eodem, ad Cameraenses infulas mox evocato, Richardi Abbatis Virodunensis regimini commissum: quod usque ad finem saeculi octavi decimi permansit.

Utrum in ipso Florinensi monasterio codex scriptus fuerit, an aliunde acceptus, mihi in incerto iudicium est. Iam vero quid intus habeat, accipe.

fol. 1^v PREFATIO RVFINI IN HISTORIA CLEMENTIS PAPAE. “Tibi quidem papa Gaudenti...” (ap. Migne Patr. Gr. I, 1205).

fol. 2. “... quod sumat narrationis initium. EXPLICIT. PREFATIO.

LIBER PRIMUS IN HYSTORIA CLEMENTIS PAPAE. “Ego Clemens in urbe Roma...”

fol. 100 “... gratiam quam apostolo exhiberet (Migne, ibid. 1454.) — “Post haec autem Petrus Rōmam ueniens multas “turbas populorum conuertit ad fidem Domini nostri Ihesu “praedicatione sua, et ibi per passionem crucis. III . kl. iulii “migravit ad Xpistum.” — “Quidam enim requirunt quomodo “Linus et Anacletus... sumat narrationis initium.” (Est ultima pars praefationis ad Gaudentium).

EXPLICIT LIBER X. INCIPIT EPISTOLA BEATI CLEMENTIS AD IACOBUM FRATREM DOMINI DE OBITU BEATI PETRI ET DE ORDINATIONE SUA. “Clemens Iacobo domino episcopo episcoporum regenti Hebreorum sanctam æclesiam...” (Clem. epist. apocrypha ex interpret. Rufni, Migne P. Gr. II, 31).

fol. 104^v post med. : “ id est claritas itineris in predicatione Petri. ”

INCIPIT EPISTOLA CLEMENTIS AD CORINTIOS. AECLESIA DEI CONSISTENS ROMÆ. AECLESIAE DEI CONSISTENTI CHORINTHUM UOCATIS SANCTIS IN UOLUNTATE DEI. PER DOMINUM NOSTRUM IHESUM XPISTUM.

“ Gratia uobis et pax ab omnipotente Deo... ”

fol. 117 post med. “ ... citius gaudeamus de uestra tranquillitate. Gratia domini nostri Ihesu Xpisti... Amen. ”

EPISTOLA CLEMENTIS AD CORINTHIOS EXPLICIT.

IN HOC CODICE CONTINETUR LIBELLUS BEDAN PRESBITERI DE LOCIS SANCTIS QUEM DE OPUSCULIS MAIORUM ADBREUIANDO COMPOSUIT.

“ Descripsi breuiter fines situsque locorum... Situs urbis Hierusalem ”. (Patr. Lat. 94, 1190 et 1179).

fol. 125 med. “ ... temperare satagas ”.

fol. 125^v al. manu : INCIPIT PASSIO SCI LONGINI. “ In diebus Domini nostri Ihesu Xpisti fuit quidam miles centurio nomine Longinus... ” (Acta SS. ad xv Mart. 2^a edit. II, 379-80).

fol. 127 med. “ ... in Cesarea Capadociae . x . kal. decembris regnante Domino ” etc.

Vides ex omnibus quae in codice Florinensi leguntur, nihil esse quod exspectationem erigat praeter eam Clementis ad Corinthios epistulam, quae foliis 104^v-117 continetur. Quae ubi primum oculis oblata est, diligenter exquirere coepi, utrum omnibus partibus suis constaret. Rem ita esse accurata consideratione cognovi : adeo ut etiam diu ante inventum a cl. Bryennio codicem Constantinopolitanum qualitercumque suppleri potuissent ea quae in Alexandrino desunt, modo ut quis animum adtendisset ad libellum istum in pagi Namurcensis angulo delitescentem.

De ipsa translatione duo nobis in praesenti

quaerenda sunt, quorum prius illud est, a quo vel quando confecta sit; alterum, quid conferat ad textum epistulae pressius constituendum et melius intellegendum.

Priorem interrogationem solvere cupienti nulla suppetunt externa argumenta. Nam qui fere ultimus inter Latinos e Clementis epistula aliquid protulit sanctus Hieronymus graeco codice, ut similius veri est, certe non ea, quam modo edimus, translatione utebatur: quod quidem ex comparatione verborum allatorum planum fiet.

Hieronymus

Comm. in Is. lii. 13:

Sceptrum Dei Dominus Iesus Christus non venit in iactantia superbiae, cum possit omnia, sed in humilitate.

Comm. in Ephes. ii. 2:

Oceanus et mundi qui trans ipsum sunt.

Ibid. iv. 1:

Vinculum caritatis Dei quis poterit enarrare?

Latinus interpres:

Sceptrum maiestatis (*Cod. mendose: Scriptum est, maiestas*) Dei Dominus Ihesus Xpistus non uenit cum sono gloriae, quamuis poterat, sed cum humilitate.

Oceanus... et omnis orbis terrarum.

Vinculum caritatis Dei qui potest enarrare? (*Cod. mendose: temerare*).

Maiorem adhuc dissimilitudinem habet Iohannes ille Romanus, prout cuivis fragmentum a cl. Pitra editum cum anonymi nostri interpretatione conferenti patebit.

Ex Iohanne Diacono

ap. Pitra, Spicil. I, 293:

Sciebat Moyses, quod virga Aaron floritura esset, sed ideo convocavit populum ut honorabilis Aaron inveniretur, et Deus glorificaretur a populis; ipse autem careret invidia... Hanc formam tenentes apostoli (vel successores eius), quos eligebant, cum consensu totius Ecclesiae ordinabant praepositos.

Interpres noster

§§ 43-44:

Non sciebat Moyses hoc fieri? Maxime sciebat: sed ne discordia fieret in Israhel, sic fecit, ut honorificaretur nomen ueri et uni... Et apostoli nostri scierunt per Dominum nostrum Ihesum Xpistum quia contentio erit pro nomine aut episcopatu. Propter hanc causam, prudentiam accipientes (*Cod. corrupte* accipient ei) perpetuam, præposuerunt illos supradictos, et postmodum legem dederunt, ut si dormierint, suscipient uiri alii probati ministerium eorum. Igitur illos constitutos ab illis, uel postmodum a quibusdam uiris ornatis, consentiente æcclesia omne, etc.

Neque est cur suspicetur quis hanc nostram interpretationem eam ipsam esse quam Paulinus Nolanus elucubratus sit. Nam praeterquam quod plane non constat genuinam Clementis Romani epistulam a Paulino umquam translatam esse, non est dubium quin huiuscmodi opus a tanto viro tentatum, alio prorsus modo cessisset, atque hic factum videmus. Ille enim, graecarum litterarum paene rudis, seipsum fatetur “in translatione sancti Clementis... ali-“ qua in quibus intellegere vel exprimere verba “non potuit, sensu potius adprehenso, vel ut “verius dicat, opinata transtulisse.” Cum tamen

haud ita malus auctor latinitatis fuerit, coniectare licet versionem ab ipso elaboratam elegantia magis sermonis quam interpretationis fide praestitisse. Quod longe secus est in ea, quam ex codice Namurcensi edimus, translatione: in qua plerumque verbum verbo ita redditur, ut fere nihil ibi invenias, quod a Pauliniano dicendi modo non abhorreat.

Deficientibus igitur, ut dixi, externis argumentis, ipsius translationis characteres diligenter inspiciendi erant; quibus excussis, iudicij mei summa haec fuit:

I^o Pro certo habendum est hanc Clementinae epistulae versionem satis diu ante confectam fuisse quam codex, qui eam repraesentat, conscriberetur. Quae res ex eo maxime comprobatur, quod multi loci, quos ab ipso interprete recte ex graeco expressos esse manifestum est, in nostro exemplari scriptorum yitio misere depravati leguntur: quorum nonnulla specimina hic ostendam.

Textus Graecus

*uti ab interprete
legebatur:*

§ 16 Τὸ σκῆπτρον τῆς
μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ,
ὁ Κύριος X. I.

§ 27 Ταύτη οὖν τῇ
έλπιδι προσδεδέσθωσαν αἱ
ψυχαὶ ἡμῶν τῷ πατρῷ.

Codicis Namurcensis

lectio corrupta: *lectio restituta:*

Scriptum est: Ma-
iestas Dei, Dominus
Ihesus Xpistus.

Itaque hac spe erant
animæ nostræ ad
Deum qui uerus est.

Sceptrum maies-
tatis Dei, Dominus
I. C.

Itaque hac spe ha-
reant animæ nostræ
ad eum qui uerus est.

§ 37 τὰ δὲ ἐλάχιστα μέλη.	eminentiora membra.	et minutiora membra.
§ 40 Ὁ λαϊκὸς ἄγθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδοται.	Plebs eius homo laicus præceptis datus est.	Plebeius homo l. p. d. e.
§ 44 πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν.	prudentiam accipient ei perpetuam.	prudentiam accipientes perpetuam.
Ib. ἐκ τῆς ἀμέριπτως αὐτοῖς τετιμημένης λειτουργίας.	ex illo sine querela illis facto ministerio.	ex illo sine querela illis functo ministerio.
§ 47 Νῦν. δέ (sic pro Νύνι δέ) κατανοήσατε.	Nunc uitæ inspicite.	Nunc uide, inspicite.
§ 49 τίς δύναται ἔξηγήσασθαι;	qui potest temerare?	quis potest enarrare?
§ 50 εὑρεθῶμεν.... ἄμωμοι. αἱ γενεαὶ πᾶσαι κ. τ. λ.	inueniamur... Inno- cuæ feræ sepe natio- nes omnes etc.	inueniamur... inno- cui. Generationes omnes etc.
§ 53 ἐγκεκύφατε εἰς τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ.	Intonuistis in eloquia Dei.	Introiuistis (<i>vel</i> introuidistis?) in eloquia Dei.
§ 56 ἐκ χειρὸς σιδήρου λύσει σε.	De manu forti redi- met te.	De manu ferri redi- met te.
§ 60 σύ, Κύριε, τὴν οἰκουμένην ἔκτισας.	Tu ordinem orbis terrae creasti.	Tu, Domine, orbem terrae creasti.
§ 61 οἵς δός, Κύριε, ὑγιείαν.	Quibus das nobis salutem.	Quibus da, Domine, salutem.
Ibid. σύ, Κύριε, διεύθυνον.	Tu ordine dirige.	Tu, Domine, dirige.
Ibid. ὅπως διέποντες ἐν εἰρήνῃ.	ut et gentes cum pace.	ut agentes cum pace.

Multa praetermitto, quorum nonnulla carere intellectu videntur, ut sunt § 20 “ inexcusabilia

qui sita ", § 37 " de inequis ", § 57 " a spe de spe ", etc.

Plurimum etiam valet, ad antiquitatem versionis demonstrandam, locorum sacrae Scripturae, qui in ea laudantur, attenta consideratio. Licet enim ex his multi sint notissimi, immo nonnulli in usu cotidiano adhibentur, v. gr. § 18 psalmus L, § 16 Isaiae cap. liii, tamen ita ab interprete proferuntur, ut is vulgatam S. Hieronymi editionem vel ex toto ignorasse, vel prorsus neglexisse videatur: quod quidem in hominem latinum saeculi undecimi cadere potuisse nemo facile recipiet.

2º Translatio, de qua agitur, eodem humili planeque rusticano sermone conscripta est, quo antiquissimae Bibliorum sacrorum versiones, quae ante S. Hieronymum apud Occidentales in usu erant. Non enim popularibus tantum verbis, sed etiam barbarismis, soloecismis obsita est: insuper multoties in numero peccat, aut casu, praepositione, participio, coniunctione. Singula haec vitia in notis indicibusque notata invenies, ex quibus pauca permixte argumenti loco proferam:

§ 1 "in tantum... ut" cum indicativo, "hospitalem *instar* (ἱθος) uestrum"; § 2 "alta pax et *inpinguis*", "sinceres et integri"; § 3 "in fide illius *caliginabatur*"; § 7 "eundem certaine nobis imminet"; § 12 "perient"; § 16 "facies eius fastidiata est", "propter *maletractatio-*

nem"; § 19 "non *per se* (= tantum) nos"; § 20 "cæli... commouentia se", "tempora uerina... et autumnina"; § 24 "surrectionem diei"; § 27 "constrastabit fortitudini"; § 29 "initiationem (= primitias) areae"; § 35 "uanitates et *inhumilitatem*"; § 37 "aliud *alio* (= alii) opus est", "apta *toto* (= toti) corpori"; § 39 "inludent et inridunt" (= inludunt et inrident), "quod non possent *sibi* adiuuare"; § 41 "uictimæ instantiarum", "pro pontifice et illorum predictorum ministeriorum" (= et illis praedictis ministris); § 42 "exierunt euangelizare regnum Dei *incepere uenire*"; § 43 "nomen ueri et *uni*" (= unius); § 45 "iusto et sine querela propositu" (= proposito), "in tantum contenderunt furoris, ut... immitttere"; § 48 "quod commode (= commodum) et utile est"; § 56 "Bestiae enim silvestrae" (= silvestres); § 57 "doceam" (= docebo); § 58 "in numero saluatorum gentium" (= hominum); § 60 "coram principes nostros", etc.

Totus sermo (quod nemo sane mirabitur) graecismis, ut aiunt, scaturit. Praeterea quasdam hebraicas dicendi formas in eo deprehendere licet, quae sunt ipsius interpretis propriae, v. gr. § 13 "uerbo sanctitatis illius" (gr. τοῖς ἀγιοπρεπέσι λόγοις αὐτοῦ); § 19 "in uoluntate pacientiae illius" (gr. εἰς τὸ μακρόθυμον αὐτοῦ βούλημα), etc.

Itaque his omnibus perpensis, minime temeritatis insimulandum eum fore existimo, qui

Clementis epistulam, ubi primum edita est, parvo intervallo interiecto, ex graeco conversam ac latina voce expressam esse praeiudicaverit. Enimvero quae ratio est, cur illi ἵκανωτάτη γραφῆ Romani Pontificis, viri inter Apostolorum successores celeberrimi idem obtigisse negemus, quod de Barnabae, quod de Hermae, quod de Irenaei scriptis minime ambigitur? Et de Barnabae quidem epistula animadvertisit Ad. Harnack (Geschichte der altchristlichen Litteratur bis Eusebius I, 62) antiquam, quae exstat, versionem unicum esse indicium, quod ea olim apud Latinos nota fuerit: quod eodem modo de Clementinae epistulae translatione potest dici.

Age sis, nunc videamus quantum utilitatis ex hac percipi possit ad ipsius Apostolici Patris opusculum nativae fidei et auctoritati restituendum.

Quamquam neque nego neque infitias eo, nonnulla ab interprete vel minus intellecta (v. gr. § 20 καὶ οἱ μετ' αὐτὸν κόσμοι; § 48 ἐπικαταλλαγῆ; § 54 οἱ πολιτευόμενοι τὴν ἀμεταμέλητον πολιτείαν τοῦ Θεοῦ; § 61 εἰς τὸ γιγάντειον τὸν ἡμᾶς... ὑποτάσσεσθαι αὐτοῖς; ibid. ὅπως διέποντες... θεώ σου τυγχάνωσιν, etc.) vel longiore circuitu enuntiata, vel denique prorsus omissa esse, quod ferme fit propter homoeoteleuton; plerumque tamen archetypi verba ab eo satis presse diligenterque reddita esse, nemo non facieatur necesse est.

Quaerendum est igitur qualis notae fuerit istud archetypum; quod quidem ita fere exprimi posse censeo:

1º Cum nullo ex tribus codicibus hactenus cognitis omni ex parte convenit, immo ab uno quoque eorum tam saepe et notabiliter differt, ut ad aliam familiam pertinere omnino dicendum sit. Plurimae vero inter praestantiores lectiones, quae in singulis leguntur codicibus, in illud quasi confluxisse videntur.

2º In locis Scripturae sacrae allegandis non raro concordat cum versione syriaca : quod quidem non mirum, cum alias quoque doctissimis viris probetur, a Syris Bibliorum interpretibus antiquitus iam in rem suam conversas fuisse translationes quae in occidentalibus regionibus circumferebantur.

3º Haud parum ex hoc archetypi nostri auctoritas commendatur, quod saepius consentientes habet scriptores antiquissimos qui ex Clementis epistula aliqua protulerunt, utputa Clementem Alexandrinum (§ 1 “legitimis”; § 28 “fugiam”, § 38 “non tantum uerbis”; § 46 “quam unum de electis meis peruerteret”; § 48 “et castam”, “patentium ad iusticiam”; § 51 “propter quasdam incursiones contrarii”, etc.) et sanctum Basilium Magnum (§ 58 “Vivit enim Deus et Dominus I. X.”), etc.

4º Quartus iste testis fere omnibus iis adstipulatur quae vir perspicacis ingenii I. B. Lightfoot coniectando erat adsecutus : tantum quod nonnulla retinet, quae sagacissimo censori in melius mutari posse vel debere visa erant (v. g.

§ 6 Δαναιδες καὶ Δίρχαι; § 20 ποραβάσεως; § 41 εὐαρεστείτω; § 43 καὶ ράβδους; § 44 ἐπιγορήν, τετιμημένης; § 59 ἀσθενεῖς; § 60 ὄσιως, etc.), alia rursus repudiat, quae in textum recepta erant praeter codicum auctoritatem § 40 ἐπιμελῶς; § 59 Δός ήμιν Κύριε; § 60 ὅστε σώζεσθαι ήμας; § 62 τὴν πορείαν ἀντῶν, etc.).

Quae quidem omnia, sicuti iam dictum, etsi enodatius in notis explicantur, tamen praecipua quaedam, in quibus versio latina a reliquis differt codicibus, simul ante oculos ponere visum est: quorum alia in verborum commutationibus, in additamentis alia consistunt:

Verba commutata:

Latina inter- pretatio.	Archetypum graecum.	Reliqui Codd.
§ 1 uidemur	νομιζόμεθα	νομίζομεν
ibid. legitimis	νομίμοις	νόμοις
§ 4 a fratribus	ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν	ὑπὸ τῶν ἀλλοφύλων
§ 5 fortissimae co- lumnae	δυνατώτατοι (?) στύλοι	δικαιότατοι στύλοι
§ 6 multas poenas et tormenta	πολλὰς αἰκίας καὶ βασάνους	πολλαῖς αἰκίαις καὶ βασάνοις
§ 12 monstrare	δεικνύαι (?)	δοῦγαι
§ 17 et tormentis sæ- uis	καὶ τῶν αἰκισμάτων δειγῶν (?)	καὶ τῶν αἰκισμάτων αὔτῶν
§ 20 per quem Deo et Patri sit honor	δι' οὗ ἡ δόξα	ῷ ἡ δόξα
§ 45 Prudentes estote	Φρόνιμοι (?) ἔστε	Φιλόνεικοι ἔστε
§ 47 Quemadmodum	Τίνα τρόπου	Τί πρῶτον
§ 58 iustitiae nomen eius	τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ὄνομα	τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ ὄνομα

Additamenta :

§ 4 “Dathan et Abiron *cum tabernaculis uiuos*”, “contra *fidelem* Dei seruum”; § 5 “*bonos et fortes apostolos*”, “qui *ab oriente usque ad fines occidentis*”; § 8 “ministri *gratiae... omnes*”; § 10 “numerare illas. *Et dixit Deus*: “Sic erit”; § 12 “aliam pro alia uiam, *et sic illos auertit*”; § 13 “*docendo mansuetudinem et æquitatem*”; § 14 “*interitum animæ nostræ grande*”; § 16 “moverunt caput *et dixerunt*: Speravit”; § 17 “ut mittas me *ut educam plebem tuam?*” § 23 “*munera illius in nobis*”; § 27 “qui uerus est *et potens et iustus*”; § 37 “nec quinquagenarii nec decuriones nec de inequis ceteri”; § 42 “*predicantes eos qui obaudiebant uoluntati Dei baptizantes preponerent*”; § 51 “propter quasdem *incursiones contrarii*”, etc.

Atque haec satis esse existimo, ut intellegatur, quanta diligentia opus sit in antiqua ista versione exutienda. Reliquum est, ut modum, quem in ea edenda servavi, paucis aperiām.

Cum igitur huiusmodi monumenta philologīcī maxime studiis emolumento esse certo scirem, omnibus viribus incubui, ut novum hoc plebeiae latinitatis exemplum quale primum exstitit, quantum unius codicis ope efficere possis, exhiberem. Quapropter non solum nunquam, ut aliquid emendarem, hac tantum ratione adduci potui, quod id quidem enorme esse videretur; verum

etiam cum adverterem non pauca primitus a librario siimpliciter descripta esse, ac deinde praepostero consilio castigata, quaecumque huiusmodi esse deprehendi, pristinae non dubitavi restituere sinceritati. Solummodo ea in melius mutare ausus sum, quae cum reliquis collata codicibus haudquaquam ab interprete ipso, sed scribarum imperitia procedente tempore talia effecta esse constaret: atque ne ipsa quidem omnia, sed ea dumtaxat, quae vim intelligentiae vel omnino fugerent, vel certe aliam in partem traducerent. Qua tamen in re citra stare malui, quam sapientis censurae modum ex libidine excedere.

Eodem consilio usus sum in notis, ubicumque expedire videbatur, adponendis: quippe piguit idem repetere, quod iam ab aliis optime actum erat. Itaque satis habui ea breviter indicare, quae textum a me inventum commendare possent vel illustrare: neque aliud omnino mihi proposui sive in texendis indicibus, sive in locis scriptorum qui proferuntur recognoscendis. Quod inde conflatum est volumen, etsi parvae quidem molis, nihilo tamen minus gratum fore confido iis qui res momento suo ponderare solent. Quorum etiam plurimi auctores mihi fuerunt, ut novum istud *ἀνέδοτον* quod suum pondus habere videbatur, separatim potius emitterem in vulgus, quam intra densam disparilium rerum silvam abstruderem. Qua in re multa sunt,

quae ab antecessorum meorum exemplo rece-dendum esse mihi suadeant. Sed de his alias.

Praefatiunculae clausula haec erit, ut quam maximas gratias agam egregiis viris qui Namur-censi clericorum seminario praesunt, quorum beneficio codicis Florinensis transcribendi copia mihi perhumaniter data est. Prodeat igitur ve-tustissimum ecclesiasticae latinitatis monumen-tum, quod tam longa oblivione veluti obrutum erat, et a christianae antiquitatis studiosis investi-gatoribus benigne excipiatur.

Scribebam Maredsoli mense Ianuario a.
1894.

GERMANVS MORIN.

& iniusticias & peccata & delicta. Noli imputare omne-
rum seruorum tuorum & ancillarum. sed purifica nos purificatio-
nus ueritatis. & dirige gressus nros inscitato cordis ingredi. &
facere bona & placita coram te. & coram principes nros. Ita dñe
illumina uultum tuum sup nos in bono cum pace. ut pregarimur ma-
nu tua forti & eripiamur ab omni peccato brachio tuo ex celso. Den-
pe nos ab obedientib; nos in iuste da concordiam & pacem nobis & omnib;
habitantib; sup terram sicut dedisti patribus nostris inuocantib; illis te
sc̄e infide & ueritate oboedientes factos omnia potenti & misericido no-
mini tuo. principib; & arm & ducib; qui sunt sup terram. Tu dñe de-
disti potestatem regni p̄ magnificum & inenarrabile imperium tuum
& cognito datum nobis ate gloriam & honorem subditi sunt nihil resis-
tentis uoluntati tuae quib; dñi nobis salutem & pacem & concordiam
tranquillitatem. ut agant quod ate illis datum est regnum sine offensio-
ne. Tu enim dominator celorum rex seculorum das filiis hominum gl̄am
& honorem & potestatem eorum quip; sunt super terram. Tu ordine di-
nge consilium eorum iuxta te bonum & placitum coram te. ut &
gentes cum pace & mansuetudine pie possideant que ate illis data
est potestas. propicio illis qui solus potes facere & hac & plura bona
nobis cum tibi confitemur per pontificem & antistitem animarū
nřarum ih̄m xp̄m per quem est ubi gloria magnificientia & nunc
in seculorum amen. Dehis ergo que ptinent ad religionem
nřām & que utilia sunt his qui perpetuam uitam uolunt pie &
iuste incedere. sufficienter scripsimus uobis uiri fr̄s. nam de fide &
penitentia & sobrietate & patientia omnē locum tractauimus com-
memorantes debere uos cum iusticia & ueritate & longanmitate
omnipotenti dō sc̄e placere concordes cum dilectione & pace cum in-
stantia & tranquillitate. sicut & supra memorati patres nostri pla-
cuerunt humiliantes se ad patrem & creatorem dñm & om̄s homines.
& hęc tanto libenter ad monuum qm̄ pro certo sc̄ebamus scribere
uobis iuris fidelibus & probatis & obedientib; eloquis doctrinæ dī. Opor-
t̄ ergo talib; & tantis exemplis accedere nos & subicere collum &
oboedientia locum complere. ut cessantes auana seditione ad p̄positū

INCIPIT
EPISTOLA CLEMENTIS
AD CORINTIOS.

ÆCLESIA Dei consistens Romæ æclesiæ Dei cons
istenti Chorinthum, uocatis sanctis in uoluntate Dei per Dominum nostrum Ihesum Xpistum. Gratia uobis et pax ab omnipotente Deo per Xpistum Ihesum abundet.

I. Propter subitaneos alios atque alios casus et impedimenta quae contigerunt nobis, tardius uidemur curam ægissee de quibus desideratis, karissimi mihi, et de aliena et extera electorum Dei inmunda et nefanda seditione, quam paucæ personæ superbae et petulantes in tantum

4. *consistens*] Diu et acriter disceptatum est inter doctos viros de vi appellationis graecæ παροικοῦσσα : quam quidem plerique recentiores verterunt “ quae peregrinatur ”. Verbum “ consistere ” ab interprete nostro usurpatum quamquam ad vim verbi κατοικεῖν proprius accedit, tamen de itinere intermisso ac proinde de brevi mansione saepissime dicitur.

9. *impedimenta*] Codd. Alexandrinus et Syriacus περιπτώσεις, Constantinopolitanus vero περιστάσεις, cui magis respondere videtur latina vox “ impedimenta ”. Cod. Alex. add. ἀδελφοί; Syr. “ dilecti.”

10. *uidemur*] quasi legerit νομίζόμεθα; neque ea lectio prorsus despicienda est. Reliqui tamen mss. νομίζουσεν, “ estimamus ”.

11. *de quibus desideratis*] Vereor ne multis iisque doctissimis viris molestus sit modus ille interpretandi περὶ τῶν ἐπιζητουμένων παρ' ὑμῖν προγμάτων, quo etsi expresse non dicitur, innuitur tamen a presbyteris aliisve fidelibus ecclesiae Corinthiorum consultam fuisse ecclesiam Romanam. At vero, quod contra huiuscmodi interpretationem obtendunt, in graeco scriptum esse παρ' ὑμῖν, non παρ' ὑμῶν, dubito an multum valeat: certum est enim παρά sequente dativo interdum “ apud ” ita significare, ut etiam praepositione “ ab ” redi possit. Cuius rei exemplum habemus ex hac ipsa Clementis epistula §. 47, ubi verba ἀνδρὶ δεδοκιμασμένῳ παρ' αὐτοῖς ab omnibus quos legi interpretibus et ab ipso Funk latine vertuntur: “ in virum ab illis probatum ”. Conf. etiam lectionem

temeritatis incensi sunt, ut etiam sanctum et prædicabile omnibus hominibus dignum amoris nomen uestrum ualde est lesum. Quis | fol. 105 | enim, e peregre cum uenit ad uos, omnium uirtutum et stabilitam fidem uestram non probauit, et prudentem et quietam in Xpisto pietatem uestram non miratus fuerit, et magnificum et hospitalem instar uestrum non predicauit, aut consummatam et cautam scientiam uestram non beatificauerit? Sine personarum enim acceptione omnia faciebatis, et in legitimis Dei ambulabatis, obaudientes 10

codicis Alex. παρ' ἡμῖν infra § 15. Maior est ea difficultas, quae ex nonnullis locis, in fine praesertim epistulae, a cl. Lightfoot aliisque profertur. Omnia sic demum conciliari posse existimo, ut dicatur Clementem communi quidem fama certiore factum esse de seditione apud Corinthios exorta, neque hos publice Romanorum fratrum auxilium implorasse, licet hoc ipsum a quibusdam exoptari Romam usque rumor afflaverit. Ceterum singula, quae commentatus est interpres, recipere in me nolim: at saltem is testimonio est, explanationem huius loci, quae in varias recentiorum reprehensiones incurrit, ab initio iam fuisse inter Latinos circumlatam.

mihi] om Gr.; cf. infra § 7.

aliena... electorum Dei] = ab electis Dei aliena.

1. *incensi sunt*] scripsi, conjectura ducta ex Gr. ἐξέκαυταν. Codex “incessi sunt”; recentiores “accenderunt” vel “inflammaret”. Duplex causa afferri potest, cur vetus interpres forma passiva usus sit: aut verbum activum ἐξέκαυταν neutraliter seu reflexive ab auctore usurpatum esse existimavit, cuius rei exempla passim occurruunt in novo Testamento (cf. Beelen, Grammatica graecitatis novi Testamenti, p. 260 sq.); aut ipse verbum passivum seu deponens “incensi sunt” activo

sensu adhibuit. Cf. infra § 5 “certatae sunt”. Quod si hoc ipsum quod scriptum est, i. e. “incessi sunt” (= incesserunt, cf. Roensch, Itala et Vulgata, 2^a edit., p. 296) retinere placuerit, tum aliud in graeco legisse interpres dicendus est, forte ἐξέκαυταν.

prædicabile] “et” add. Gr.

3. *est lesum*] Ita quoque Syriacus, quem Lightfoot βλαφθῆναι legisse suspicatur; Gr. βλασφημηθῆναι. — De coniunctione “ut” cum indicativo conf. Roensch. op. cit., p. 429.

4. *omnium uirtutum*] = omni virtute plenam. Gr. πανάρετον.

5. *probauit*] mox “predicauit”, tum “miratus fuerit” et “beatificauerit”. Permutatorum modorum syllabam *er* causam fuisse existimo. Cf. infra § 48 “opibus” scriptum pro “operibus”.

6. *uestram*] om. Gr.

7. *hospitalem*] Litteram *m* in ultima syllaba expungere nolui.

instar] Notanda ac prorsus singularis usurpatio huius vocis ad significanda, ut puto, animi lineamenta. Gr. ηθος.

10. *in*] om. cod. Alexandr.

legitimis] Codd. gr. νόμοις. Attamen νομίμοις cum interprete nostro legit Clemens Alexandrinus, Strom. IV, c. 17 (ed. Migne P. Gr. 8, 1312,) et in textum recepit Lightfoot.

præpositis uestris, et honorem dignum tribuentes senioribus uestris, et iuuenibus modica et sancta intellegere permittentes, et mulieribus innocentibus et casta conscientia omnia facere iubebatis, ut amarent, sicut decet, uiros suos, ut in regula obauditionis essent constitutæ, domum suam castæ regere docebatis cum prudentia.

II. Omnes enim uos humiliabatis, nihil in superbia facientes, obaudientes magis quam iubentes, et libenter dantes magis quam accipientes, alimentis Xpisti contenti, et adtendentes ei uerba illius in pectore habebatis et in uisceribus uestris, ut et passiones illius ante oculos uestros fuerint. Sic alta pax et in pinguis dabatur omnibus, et insatiabilis amor ad benefaciendum, et plenitudo Spiritus sancti largior erat in omnibus: et eratis pleni sanctæ mentis bono proposito, cum pia confidentia expandentes manus uestras ad Deum omnipotentem, rogantes eum ut propicius esset uobis, si quid ignorantes peccaretis. Sollicitudo erat uobis die ac nocte pro omni fraternitate, ut salui essetis cum misericordia et cum

1. *senioribus*] Vocabulum πρεσβυτέροις Funk latine vertit “presbyteris”, idemque significare putat atque ἄγούμενοι, praepositi ecclesiastici. Lightfoot vero cum interprete nostro consentit, voce πρεσβυτέροις hoc loco nequaquam magistratum ecclesiasticum sed proiectam aetatem indicari.

2. *modica*] = moderata. Gr. μέτρια.

3. *innocenti*] scripsi; Gr. ἀμάρτυρ. Ms. “innocentia”. In Gr. praemittitur praepositio “in”, quae ob repetitam eandem syllabam initio vocis “innocentia” facile a librario praetermitti potuit.

innocenti] καὶ σεμνῆ addit Gr., quod non solum Latinus noster sed etiam Syriacus omittit.

9. *Xpisti*] Cod. Alex. τοῦ Θεοῦ; Con-

stantinop. et Syr. τοῦ Χριστοῦ. Utra lectio anteponenda sit, in medio relinquo.

10. *ei*] scripsi. Cod. “et”. Cf. infra §§ 14 et 64. Deest quidem in Gr. istud pronomen; verum ita latini sermonis ratione exigitur, ut neque Funk illud translationi suae interponere dubitarit.

illus] “diligenter” inserit Gr.

13. *plenitudo... largior*] Gr. “plena... effusio”.

17. *ignorantes*] Gr. ἀχούτες, quod plerique latine interpretantur “inviti”. Attamen in Vulgata Bibliorum editione Numer. 15, 29 verba δε εἰν ποιήσῃ ἀχουσίως simili modo redduntur: “qui peccaverint ignorantes”.

19. *ut salui essetis... cum numero*] Gr. “ut salvus esset... numerus”.

bona conscientia cum numero electorum Dei. Sinceres et integri fuistis, nihil mali sentientes ad iniucem. Omnis scissura et contentio odio uobis erat; et propter delicta fratrum uestrorum luxistis, et peccata illorum uestra esse iudicasti. Parati in omni opere bono, omni decore 5 cultus ornati, omnia in timore Dei consummasti: præcepta et iusticiæ Dei in latitudine cordis uestri inscribebantur.

III. Omnis gloria et altitudo data est uobis, et consummata est scriptura: *Edit et bibit, et ingrassauit se et elatus factus est, et recalcitrauit dilectus.* Ex hoc zelus et inuidia, et contentio et contumacia, et persecutio et inconstantia, et proelium et captiuitas. Sic exsurrexerunt uulgares contra honoratos, non gloriosi supra gloriosos, stulti supra prudentes, sic iuuenes contra seniores. Ideo 15 longe recessit ab eis iusticia et pax; quia unusquisque reliquit timorem Dei, et in fide illius caliginabatur, et

cum misericordia] Ita codd. Alex. et Syr. Lightfoot potiorem habuit lectio nem codicis Constant. “cum timore”

1. *conscientia*] Scriptum primo fuerat “cum scientia”.

Sinceres] cf. Roensch, p. 274, et Priscillian. ed. Schepss, p. 81: “sine uitio sinceres”.

3. *erat*] om. cod. Alex.

5. *iudicasti*] Gr. et Syr. add. “Benefacti nullius paenitebat vos”.

omni decore cultus] Gr. paulo aliter: “virtutum plena et veneranda vitae ratione”.

6. *Dei*] Gr. αὐτοῦ.

7. *Dei*] Gr. τοῦ Κυρίου.

9. *altitudo*] primum erat mutare in “altitudo” iuxta graecum πλατυσμός: quod demum displicuit, postquam animadverti vocem ἐπλατύθη in sequenti

versu redditam fuisse “elatus factus est”. Cf. tamen infra § 40, ubi “latitudinem” pro “altitudinem” manifesto ponitur.

10. *scriptura*] Deut. 32, 15.

ingrassavit] in “incrassavit” post. manu mutatum.

ingrassavit se et elatus factus est] Ultimum hoc priori in Gr. praeponitur: καὶ ἐπλατύθη καὶ ἐπαγύνθη.

12. *et*] ante “contentio” om. Const. et Syr.

15. *sic*] non repetit Gr.

16. *recessit*] Consonat Const. ἀπέστη; Alexandrinus vero ἀπεστιν.

ab eis] om. Gr.

17. *caliginabatur*] Verbum istud a Lucifer quoque Calaritano usurpatum fuisse notat H. Roensch, It. et Vulg. p. 154.

negabat omnia mandata eius, ambulare uoluerunt non digne Xpisto : sed quisque ingreditur secundum uoluntatem | f° 105^v | cordis sui maligni, et zelum iniquum et impium .receptum, propter quem et mors introiuit in orbem terrarum.

IV. Scriptum est enim sic: *Et contigit post dies, attulit Cain de fructibus terræ immolationem Domino; et Abel attulit de primitiuis ouium suarum et de adipe earum. Et respexit Deus ad Abel et in munera eius, nam ad Cain et ad uictimas eius non respexit. Et tristis factus est Cain ualde, et confusa est facies illius. Et dixit Deus ad Cain: Quare tristis factus es, et quare corruit uultus tuus? Nempe, si recte offeras, et non recte diuidas, peccasti. Quiesce: ad te erit conuersio eius, et tu dominaberis eius. Et dixit Cain ad Abel fratrem suum: Eamus in campum. Et contigit, cum essent in campum, exsurrexit Cain in fratrem suum Abel, et occidit eum.* Intelligite, fratres, quia zelus et inuidia fecit, ut frater fratrem suum occideret. Propter zelum pater noster Iacob fugit a facie fratris sui Esau. Zelus fecit Ioseph usque ad mortem

1. Non nihil a graeco hic loci discedit interpres, quem idcirco crediderim quaedam aliter legisse ac legimus.

negabat o. m. eius] Gr. μηδὲ ἐν τοῖς νομίμοις τῶν προσταγμάτων αὐτοῦ.

ambulare] Gr. add. "neque vitam degere", quae hic propter homoeoteleuton omissa esse puto (πορεύεσθαι... πολιτεύεσθαι).

uoluerunt] de suo interpres addidisse videtur.

2. *uoluntatem*] Gr. τὰς ἐπιθυμίας.

3. *cordis*] om. Alexandr.

et]. ante "zelum" om. Gr.

4. *receptum*] scripsi conjectura ducta ex graeco ἀνειληφότας = resumendo (gal-

lice ayant repris). Codex "preceptum".
et] ante "mors" om. Syr.

6. *sic*] om. Const.

Et contigit etc.] Gen. 4, 3-8.

7. *Domino*] Ita Const. et LXX; Alex. et Syr. τῷ Θεῷ.

8. *attulit*] "et ipse" add. Gr.

suarum] add. cum nostro Syr. et LXX; om. Alex. et Const.

primitiuis] Gr. πρωτοτόκων. Cf. Hebr. 12, 23 "ecclesia primitiorum".

9. *nam* = sed.

11. *facies illius*] Ita Const. et Syr.; Alex. cum LXX "concidit vultu suo".

16. *essent in campum*] cf. Roensch, p. 410 sq.

fugari, et usque in seruitutem deuenire. Zelus coegit Moysen fugere a facie Pharaonis regis Ægypti, cum audiuit a cumtribule suo: *Quis te constituit principem aut iudicem super nos? aut occidere me tu uis quemadmodum occidisti hesterna die Ægyptium?* Propter ⁵ zelum Aaron et Maria extra castra manserunt. Zelus Dathan et Abiron cum tabernaculis uiuos deduxit ad inferos, quia contenderunt contra fidelem Dei seruum Moysen. Propter zelum Dauid habuit inuidiam non a fratribus tantum, sed etiam a Saul rege Israhel, qui persecutus est eum.

V. Sed ut priorum exempla desinam referre, ueniamus ad huius temporis qui fuerunt adletæ; sumamus generationis nostræ fortia exempla. Propter zelum et inuidiam maximæ et fortissimæ columnæ persecutionem habuerunt, et usque ad mortem certatae sunt. Sumamus ante oculos nostros bonos et fortes apostolos: Petrum, qui propter zelum iniquum non unum, non duos, sed plures passus est labores, et sic martirio consummato abiit in locum gloriæ, qui ei debebatur. Propter zelum et contentionem Paulus patientiæ brauium ostendit, septies uincula passus, fugatus, lapidatus, preco factus in oriente et

3. *suo*] om. Gr.

Quis te etc.] Exod. 2, 14.

principem] Ita Const. Syr. et LXX; Alexandrinus “arbitrum” (χριτήν).

4. *aut iudicem*] Const. Syr. et LXX “et”.

7. *cum tabernaculis*] reliqui codd. om.

8. *fidelem*] similiter om. Gr. et Syr.

9. *a fratribus*] Gr. ἡπὸ τῶν ἀλλοφύλων. Latinus noster legit ἀδελφῶν, timeo ut recte.

10. *rege Israhel*] om. Const.

qui persecutus est eum] Gr. “persecutionem sustinuit”.

13. *adletæ*] Ita codex.

15. *maximæ*] scripsi. Cod. “maxime”; Gr. μέγιστοι

fortissimæ] Optima sane lectio, etsi in Græco pariter et Syr. legitur “iu-
stissimæ” (δικαιότατοι). An noster δυνα-
τώτατοι?

16. *certatae sunt*] Deponensproactivo.
cf. Roensch, p. 302.

17. *et fortes*] om. Gr. et Syr.

18. *iniquum*] Ita cod.

in occidente, fortem fidei suæ gloriam accepit : qui docuit iusticiam omnem orbem terrarum, qui ab oriente usque ad fines occidentis uenit, et dato testimonio martirii sic a potentibus liberauit se ab hoc | fol. 106 | seculo, et
5 in sanctum locum receptus est, patienciæ factus magnum exemplum.

VI. His uiris sancte conuersantibus conuenerunt magnæ turbæ electorum, qui multas poenas et tormenta propter zelum passi, magno exemplo fuerunt nobis.
10 Propter zelum persecutionem mulieres Danaides et Dircæ, et poenas sævas et scelestas passæ, ad fidei stabilem cursum peruenerunt, et acceperunt magnum proemium, quæ erant infirmæ corpore. Zelus abalienauit uxores a uiris, et mutauit quod dictum est a patre nostro Adam :
15 *Hoc est nunc ossum de ossibus meis et caro de carne mea.* Zelus et contentio ciuitates diruit, et magnas gentes eradicauit.

VII. Hæc, carissimi mihi, non solum uos monentes scribiimus, sed et nos metipsos commonemus : in eodem

2. *iusticiam*] “ iustitiae ” in Const. et Syr., ubi cum verbis “ gloriam accepit ” coniungitur.

ab oriente] Gr. et Syr. om.

3. *martyrii... liberauit se*] Gr. paulo aliter : “ martyrii coram praefectis, sic migravit ” etc.

4. *hoc*] add. cum nostro solus Syriacus.

5. *receptus est*] Syr. quoque “ susceptus est ” ; Gr. vero ἐπορεύθη, abiit.

7. *sancte*] “ sanctae ” primum scriptum erat.

8. *multas poenas et tormenta*] Gr. dativo casu πολλὰς αἰχμὰς καὶ βασάνους, quae in πολλὰς αἰχμὰς καὶ βασάνους mutanda esse nonnulli antea iam coniecerant.

10. *Danaides et Diræ*] Vitari iam posse nemini videbitur haec lectio, cui

alii alia, eaque quanto apertiora tanto magis suspecta, pro suo quisque ingenio substituere conati sunt.

11. *sævas*] ex “ sceuas ” correctum esse videtur.

13. *corpore*] ex “ corporæ ” itidem correctum.

15. *Hoc est etc*] Gen. 2, 23.

ossum restituendum esse duxi (cf. Roensch, It. et Vulg. p. 259 et 475). Codex “ os ” 2 manu in rasura, duabus tribusve litteris deletis.

16. *ciuitates*] “ magnas ” add. Gr. et Syr.

diruit] Ita cod. Const. κατέσκαψε; Alex. et Syr. “ evertit ” (κατέστρεψεν).

18. *mihi*] iterum de suo addidit interpres. Cf. supra p. 1, l. 11.

enim scemate sumus, et eundem certamen nobis imminet. Itaque relinquamus uanas curas, et ueniamus ad exornatum et sanctum doctrinæ exemplum, et uideamus quod est bonum et suaue et acceptabile coram Deo qui fecit nos. Intueamur in sanguine Christi, et cognoscamus quam preclarum sit patri eius, quod propter nostram salutem effusus omni orbi terrarum penitentiam intulit. Ueniamus ad omnia secula, et consideremus quia in secula poenitenciæ dedit locum Dominus uolentibus conuerti ad eum. Noe predicauit poenitentiam, et qui obaudierunt salui facti sunt. Ionas Niniuitis predicauit euersionem; et quia poenitentiam egerunt propter peccata sua, exorauerunt Deum deprecantes, et acceperunt salutem, quamuis erant alieni Deo.

VIII. Item ministri gratiæ Dei per Spiritum sanctum omnes de poenitentia sunt locuti, et ipse Deus omnium de poenitentia dixit cum iurejurando: *Uiuo ego, dixit*

1. *scemate*] Scribendum erat “scammatæ”. Gr. σκάμψατι.

2. *uanas*] Gr. plenius : κενὰς καὶ ψευδῆς.

3. *exornatum*] Codex “exoratum”. Quod vocabulum quid sibi vellet cum diu frustra quaesiisse, postmodum animadverti vocem ἐνδόξων infra § 19 latine redditam fuisse “ornata”. Iamvero cum ἐνδόξος et quod hic legitur εὐκλεής fere idem significant, in mentem venit “exoratum” pro “exornatum” scriptum fuisse: utrum recte an perpetram, lectoris esto iudicium.

4. *Deo*] pro “eo”, et sic saepissime. Gr. ἐνώπιον τοῦ ποιήσαντος.

5. *in sanguine*] nolui mutare in

“in sanguinem”. Cf. infra § 19.

6. *patri eius*] Ita Syr. et hanc esse genuinam lectionem Lightfoot existimat. Cod. Const. addit “Deo”; Alexandrinus, quantum conicere licet: “Deo et patri eius”.

7. *penitentiam*] Ita Syr.; Graecus vero “paenitentiae gratiam”.

8. *in secula*] Gr. ἐν γενεᾷ καὶ γενεᾷ.

9. *Dominus*] scripsi iuxta Gr. ὁ δεσπότης. Codex “omnibus”. Conf. infra §§ 60 et 61, ubi vocabulum “Domine” in “ordinem” et “ordine” perperam mutatum est.

12. *quia*] pro “qui”? Gr. οἵ δέ.

16. *omnes*] om. Gr. et Syr.

17. *Uiuo ego* etc.] Ezech. 33, 11.

Uiuo “enim” add. Alex. et Syr.

18. *dixit*] Cod. et similiter saepius ubi in Gr. legitur λέγει aut φησίν.

Dominus, quia nolo mortem peccatoris, sed pœnitentiam; insuper adiecto consilio bono : Agite pœnitentiam, domus Israhel, propter peccata uestra. Dic filiis plebis meæ: Si sunt peccata uestra a terra usque ad cœlum, et si sunt rubriora coccino uel nigriora sacco, et conuertitis uos ad me de toto animo et dicitis, Pater, exaudiam uos sicut plebem sanctam. Et in alio loco sic dixit : Lauamini, mundi estote, auferite malicias ab animis uestris et a conspectu oculorum meorum. Desinite a maliciis uestris, discite bene facere, exquirite iudicium, eripite iniuriam accipientem, iudicate pupillo, et iustificate uiduam: et uenite, disputemus, dicit Dominus. Et si fuerint peccata uestra sicut fenicum, tanquam niuem dealbabo; si autem ut coccinum, tanquam lanam albam efficiam. Et si | fol. 106v | uolueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis. Quod si nolueritis, neque obaudieritis mihi, gladius uos comedet: os enim Domini locutum est hæc. Omnes uero quos amat Deus, uult illos pœnitentiæ socios esse, quam firmauit omnipotens uoluntate sua.

IX. Itaque obaudiamus magnificenti et honorate

1. *quia*] om. Gr.

2. *sed*] Gr. "sicut".

6. *animo*] Ita Const. et Syr. ψυχής; Alexandr. ναρθίξεις.

7. *in alio loco*] Is. 1, 16-20.

8. *dixit*] Gr. "dicit".

9. *Lauamini*] "et" add. Alex.

12. *et*] om. Gr.

13. *uenite*] "et" add. Const. et Alex.

14. *Dominus*] om. Alexandr.

15. *albam*] Littera *m* in fine redundat, et legendum "alba" iuxta Gr. λευκανῶ.

18-19. Notabiliter hoc loco dissidet Latinus noster a Gr. et Syr. codd.

18. *nero*] Gr. "ergo".

19. *quos amat Deus*] Gr. "dilectos suos".

20. *uult*] "volens" Gr.

21. *quam firmavit*] "quam" in Gr. omittitur, ex quo hic locus nonnihil habet obscuritatis; quam Harnack aliique discutere conati sunt subintellegendo "effatum illud" i. e. Nolo mortem peccatoris, etc.

22. *omnipotens*] in "omnipotenti" fortasse mutandum est iuxta Gr. τῷ παντοκρατορικῷ.

23. *magnificenti*] scripsi. Gr. μεγαλοπρεπεῖ; Cod. "magnificentiae".

24. *honorate*] = honoratae.

uoluntati illius, et humiliemus nos deprecationi misericordiae et indulgentiae eius, et prosternamus nos, et conuertamus nos ad misericordiam illius, relictis uanis operibus et contentionibus et qui ad mortem adducit zelo. Intueamur eos qui consummate ministrarunt magnae maiestati Dei. Sumamus Enoch, qui propter obauditionem Deo iustus inuentus translatus est, et non inuenitur mors eius. Noe fidelis inuentus per ministerium suum regenerationem orbi terrarum predicauit, et salua per eum fecit Deus animalia quæ intrauerunt cum eo cum concordia in arcam.

X. Abraham, amicus cognominatus, fidelis inuentus est, quia obaudiens fuit uerbis Dei. Hic propter obaudientiam Dei exiit de terra sua et de cognatione sua et de domo patris sui; et terra exigua et cognatione infirma et domo minima relicta heres fit promissionum Dei. Dixit enim illi Deus: *Exi de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et uade in terram quam tibi monstrabo; et faciam te in gentem magnam, et benedicam te, et magnificabo nomen tuum, et eris benedictus. Et benedicam qui te benedixerint, et qui te maledixerint maledicam, et benedicentur in te omnes tribus terræ.* Et iterum, cum discessit Abraham a Loth, dixit illi Deus: *Respice oculis tuis, et uide a loco, in quo tu nunc stas, ad*

1. humiliemus nos deprecationi] Gr. brevius *ἰξέται γενόμενοι.*

2. et] ante "prosternamus" om. Gr.

6. Dei] iterum pro "eius". Cf. supra p. 8, l. 4 et p. 9, l. 18.

7. Deo] om. Gr.

10. Deus] pro "Dominus". Gr. δεσπότης.

cum eo] om. Gr.

14. Dei] post "obaudientiam" om. Gr.

16. et ... heres fit] Gr. "ut ... heres fieret".

17. dixit] Gr. "dicit", ut supra p. 8, l. 17 etc.

Deus] om. Gr.

Exi de terra] Gen. 12, 1-3.

18. et uade] deest in Gr.

23. Abraham] Gr. αβραά.

24 sq. Gen. 13, 14-16.

24. et] ante "uide" om. Gr.

aquilonem et affricum et orientem et mare, quia omnem terram, quam tu uides, tibi dabo illam et semini tuo in æternum; et faciam semen tuum sicut harenam maris, quæ non dinumerabitur. Et iterum dixit: *Eduxit autem 5 Deus Abraham foris, et dixit illi: Respice in cœlo, et numera stellas, si poteris numerare illas.* Et dixit Deus: *Sic erit semen tuum.* Et credidit Abraham Deo, et æstimatum est illi ad iusticiam. Et propter fidem et hospitalitatem datus est illi filius in senecta, quem propter 10 obaudientiam Deo optulit uictimam in montem, quem ostendit illi Deus.

XI. Item quia erat hospitalis et pius, Loth saluus factus est de Sodomis, cum omnis regio dampnata esset per ignem et sulphurem: palam fecit enim Deus, quia, 15 qui sperant in eum, non derelinquet eos, qui autem dubii | fol. 107 | sunt, in poenas et tormenta traduntur; quomodo et uxor Loth, cum exiret pariter cum eo, et cum esset in Deum dubia, facta est statua et monumentum salis usque in hodiernum diem: ut sit omnibus notum, 20 quia dubii et non credentes de uirtute Dei in dampnationem et exemplum omnibus sæculis erunt.

XII. Item propter fidem, quia hospitalis erat, salua facta est Raab, quæ cogminabatur fornicaria. Cum enim

3. *maris*] Gr. " terrae ".

4. *quæ non dinumerabitur*] Aliter Gr. " Si poterit aliquis dinumerare arenam terrae, et semen tuum dinumerabitur ".

5. *dixit*] Gen. 15, 5-6.

6. *autem*] om. cod. Alex.

7. *Et dixit Deus*] om. reliqui mss.

8. *Et*] ante " propter " om. Gr.

9. *in montem*] Gr. πρὸς ἐν τῷν ὄρεων.

10. *Deus*] om. Gr.

11. *Item*] quoque unus addit Latinus.

12. *quia*] scripsi; Cod " qui ".

13. *fecit*] Ita Syriacus; Alex. vero et Const. ποιήσας.

14. *in Deum*] om. Gr. sed mox add. καὶ οὐκ ἐν ὄμονοῖς, quae verba ab interprete vel librario praetermissa sunt.

15. *Item*] om. Gr.

16. *fidem*] " et " add. Gr.

17. *cogminabatur*] Ita ms. syllaba no oppressa. Codex. Alex. om. " quae cognominabatur ".

missi sunt ab Iesu Naue exploratores in Iericho, et rescisset rex ciuitatis Iericho quia uenerant explorare terram, misit uiros qui eos comprehendenderent et occiderent. Hospitalis ergo quia erat Raab, acceptos eos abscondit in pergula domus suæ. Et cum uenirent qui erant a rege missi, et dicerent ei : Ad te introierunt qui erant exploratores terræ nostræ, educ illos et moriantur, hoc enim iussit rex ; illa respondit : Intrauerunt ad me quidem homines quos queritis, sed protinus exierunt et duxerunt se in uiam : demonstrans illis aliam pro alia uiam, et sic ⁵ illos auertit. Et dixit Raab ad homines Israhelitas quos absconderat : Sciens scio quia Dominus Deus tradet uobis terram istam ; timor enim et tremor uester inruit super habitantes terram istam. Cum ergo erit uobis sumere illam, saluam me facite et domum patris mei. Et ¹⁵ dixerunt : Sic erit quomodo locuta es. Cum ergo cognoveris uenire nos, induc omnes in domum tuam, et erunt salui : nam quotquot erunt extra domum tuam, perient. Et adiecerunt monstrare ei signum, quod suspenderet de domo sua, resticulam coccineam: palam facientes, quia ²⁰

2. rex ciuitatis Iericho] Gr. brevius : ὁ βασιλεὺς τῆς γῆς.

3. terram] Gr. add. αὐτῶν.

misit] Ita cod. Const. ; Alex. "emisit" ἐξέπεμψεν.

et occiderent] Gr. "ut comprehensi morerentur."

5. domus suæ] Gr. addit. ὅποι τὴν λινοκαλάμην.

6. ei] om. Gr., habet Syr.

7. et moriantur] reliqui codd. om.

9. exierunt] Ita Const. ἐξήλθον; Alex. "abierunt" ἐπῆλθον.

duixerunt se] = "abierunt". Conf. Roensch, p. 361.

10. et siculos auertit] solus addit Latinus.

11. Et dixit... quos absconderat] Gr. iterum brevius : "Et dixit ad viros".

12. scio] "ego" add. Alex. et Syr.

14. terram istam] cum nostro repetit Syr.; Alex. et Const. αὐτήν.

16. dixerunt] "ei" add. Gr.

locuta es] "nobis" add. Gr.

19. Et adiecerunt etc.] Recte igitur senserat Lightfoot, minime accipendum esse, quod Hainack hoc loco interpretatus est, Funk quoque in suam editionem transtulit : "Preterea mandaerunt ei ut signum daret".

monstrare] = δεικνύει? Reliqui mss. δοῦναι, dare.

per sanguinem Domini salus erit omnibus credentibus et sperantibus in Deum. Uidete, carissimi, quia non tantum fides, sed et prophetia fuit in mulierem.

XIII. Humiliemus nos ergo, fratres, deposita omni gloria et uanitate et dementia et ira, et faciamus quod scriptum est. Dixit enim Spiritus sanctus : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, neque diues in diuitiis suis; sed qui gloriatur, in Domino glorietur, in quærendo et faciendo æquitates et iusticias eius.* In mente habeamus uerba Domini nostri Ihesu Xpisti, quae locutus est docendo mansuetudinem et æquitatem et pacientiam. Sic enim dixit : *Miseremini, ut perueniatis ad misericordiam; remittite, ut remittatur uobis; quomodo aliis facitis, sic et faciet uobis; quomodo datis, sic et dabitur uobis; quomodo iudicatis de aliis, sic iudicabitur de uobis; qua mensura mensi fueritis, in eadem uobis remetietur.* His mandatis et præceptis | f. 107v | confirmemus nos, ut in eis ambulantes obaudiamus uerbo sanctitatis illius, et humiliemus nos.

2. *quia*] om. cod. Alexandr.

3. *et*] om. idem ms.

in mulierem] m parasiticum. Conf. supra p. 14, l. 9 etc.

6. *Dixit*] Gr. "dicit".

Non glorietur etc] Ierem. 9, 23-24 etc.

9. *quærendo*] "eum" add. Gr.

10. Gr. (om. "eius") : "praecipue memores sermonum Domini Iesu."

11. *mansuetudinem* *et*] solus omnium addit Latinus (= πρωτητα? vide infra § 21 "sinceram mansuetudinis suae uoluntatem").

14. *et*] ante "faciet" et "dabitur" om. Gr.

faciet] Ita distinete codex. Attamen in Gr. forma passiva exhibetur ποιηθήσεται: quare aut "fiet" aut "facietur" pro-

culdubio scribendum fuit. "Facietur" magis placet, tum quia hoc modo intacta servatur lectio codicis, tum quia syllabam *ur*, quando tenui tantum linea- la indicatur, librarii facile praetermit- tunt. De forma "facitur", adi si placet Roensch op. cit., p. 296.

15. *de aliis*] add. solus Latinus.

16. *de uobis*] Praetermisit noster : ὡς χρηστεύεσθε, οὕτως χρηστευθήσεται ὑμῖν.

19. *uerbo sanctitatis illius*] Dictio plane hebraica, quam eo minus a recentiore interprete adhibendam fuisse credide- rim, quod neutquam a graeco archetypo profectam eam esse manifestum est. In hoc quippe legitur τοῖς ἀγιοπρεπέσι λόγοις αὐτοῦ. Cf. infra § 19 "in uolun- tate pacientiae illius".

Dixit enim Deus: *Super quem respiciam, nisi super humilem et mansuetum et trementem uerba mea?*

XIV. Iustum ergo et sanctum est, fratres, obaudientes nos magis Deo quam superbis et inconstantia inmundi zeli initiatoribus obsequi. Periculum enim non minimum, uel magis interitum animæ nostræ grande patiemur, si per neglegentiam nostram exequamur uoluntatibus hominum, qui nituntur in contentiones et contumacias, ut abalienent nos a bonis Dei. Misereamur nobis, fratres, secundum misericordiam et indulgentiam eius qui fecit nos Deus. Scriptum est enim: *Misericordes erunt qui inhabitant terram, et innocentes remanebunt in eam; nam iniqui pereunt ex illa.* Et iterum dixit: *Uidi impium exaltatum et exurgentem tamquam cædros Libani; et transii, et ecce non erat, et quesui eum, et non est inuentus locus eius. Custodi innocentiam et uide æquitatem, quia sunt reliquiae homini pacifico.*

1. *Deus*] Gr. ὁ ἄγιος λόγος.

Super quem etc.] Is. 66, 2.

4. *et*] scripsi. Cod. "ei". Conf. supra p. 3, l. 10.

5. *magis*] "esse" add. Gr.

superbis] in "superbia" mutandum esse iuxta Gr. ἀλλαζονείᾳ primum suspicatus sum; sed quid si interpres τοῖς ἐν ἀλλαζονείᾳ adiectivi loco accipiebat, vel etiam τοῖς ἀλλαζονίαις legebat?

6. *Periculum*] Gr. "detrimentum".

7. *interitum*] Gr. "periculum" (om. "animaæ nostræ").

grande] nolui mutare in "grandem". Cf. Roensch, p. 269 sq.

8. *exequamur*] Gr. "tradiderimus nosmetipsos (ἐπιδῶμεν ἔσωτούς)". Nostrer autem, uti videtur legebat ἐπιδῶμεν.

9. *contentiones*] Cod. Alex. ἔριν numero singulare.

10. *a bonis Dei*] Paulo liberius redditum. Gr. "ab eo quod bonum est."

Misereamur nobis] Ita codd. Const. et Syr. ἔχωτοῖς; Alexandrinus vero, cuius lectio Lightfoot aliisque magis probatur: αὔτοῖς, i. e. seditionis auctoribus.

12. *Deus*] om. Gr.

14. *in eam*] Ita cod.

nam] = autem. Cf. supra p. 5, l. 9.

pereunt] Haud male conicias legendum esse "perient" (gr. ἐξολεθρευθήσονται), uti paulo ante scriptum est p. 12, l. 18.

dixit] more suo librarius, ubi in Gr. legitur "dicit".

15-18. Ps. 36, 35 sqq.

16-17. *quesui... locus eius*] Ita etiam Syr. cum LXX; sed codd. Alex. et Const. "quaesivi locum eius, et non inveni".

XV. Igitur hereamus eis quicumque pacifici sunt, et non eis qui simulators sunt pacis. Dixit enim Deus : *Hæc plebs labiis me diligit, cor autem eorum longe est a me.* Et iterum dixit : *Ore suo benedicebant, et corde suo*
 5 *maledicebant.* Et iterum dixit : *Amauerunt illum ore suo, et lingua sua mentiti sunt illi: nam cor illorum non fuit rectum cum Deo, nec crediderunt testamento illius.* Ideo obmutescent labia dolosa et lingua magniloquia, qui dixerunt : *Lingua nostra magnificabimur, labia nostra*
 10 *a nobis sunt; quis est nobis dominus? Propter miseriam egentium et gemitum pauperum nunc exsurgam, dixit Dominus. Ponam in salutarem: confidenter agam in eo.*

XVI. Humilium enim est Xpistus, non exaltantium se super gregem illius. Sceptrum maiestatis Dei, Do-

1. *quicumque*] Erat primo “qui cum que” disiunctis syllabis scriptum, fortasse pro “qui cum pietate” iuxta Gr. τοῖς πεπτέσθαις.

2. *enim*] “alicubi” add. Gr. omissio “Deus”.

3. *Hæc plebs etc.*] Is. 29, 13.

4. *Ore suo etc.*] Ps. 61, 5.

5. *Amauerunt illum etc.*] Ps. 77,
 36-37.

6. *nam*] iterum pro “autem”, ut supra p. 14, l. 14, et infra saepissime.

7. *Deo*] Gr. “eo”. Cf. not. ad. p. 8, lin. 4.

7-8. Nonnulla hic omissa sunt ex his quae in Syr. habentur ob recurrentes easdem voces “labia dolosa”. Ita in codd. Alexandr. et Constantinop.; ita apud Clement. Alexandr. Stromat. IV, 6.

8. *magniloquia*] in “magniloqua” postea correctum est. — Ps. 30, 19;
 11, 4-6.

9. *Lingua n. magnificabimur*] Gr. “linguam nostram magnificabimus”.

10. *a nobis*] παρ' ἡμῖν Cod. Alex. et

Clem. in Stromat. Conf. adnot. crit. ad p. 1, l. II.

11. *egentium*] scribere visum est iuxta Gr. τῶν πτωχῶν. Codex “gentium.”

exsurgam] ab ipso librario correctum ex “exsurg&”.

11. “dicit” Gr.

12. *in salutarem*] Littera *m* tenui tantum linea indicatur.

14. *Sceptrum maiestatis Dei*] Locus iste librariorum vitio mire corruptus ita repraesentatur in codice : “Scriptum est : Maiestas Dei, etc”; quem tamen ope codicuum Gr. et Syr. facile et tuto emendavi. Haec ipsa Clementis nostri verba a sancto Hieronymo laudantur Comm. in Is. 52, 13 (ap. Migne P. L. 24, 523), non quidem ex hac antiqua translatione sed libere ex graeco, ut sequitur : “Sceptrum Dei Dominus Iesus Christus non venit in iactantia superbiae, cum possit omnia, sed in humilitate.”

Dominus] “noster” add. cod. Alex.

minus Ihesus Xpistus, non uenit cum sono gloriæ nec cum superbia, quamuis poterat, sed cum humilitate, quomodo Spiritus sanctus pro eo locutus est. Dixit enim : *Domine, quis credidit auditui nostro ? et brachium Domini cui reuelatum est ? Adnunciamus coram ipso : tamquam radix in terra sitienti ; non est ei facies nec honor ; et uidimus illum, et non habebat speciem nec decorem, sed aspectus eius deficiens et deformis p̄rae forma hominum.* Homo in plaga et dolore, sciens ferre infirmitatem ; quia auersata est facies eius, fastidiata est et spreta. *Hic peccata nostra portat et propter nos dolet : et nos putauimus esse illum in dolore et plaga et uexatione.* Et ipse uulneratus est propter peccata nostra, et | fol. 108 | infirmatus est propter iniurias nostras. *Doctrina pacis nostræ in eo, plaga illius sanati sumus nos.* Omnes tamquam oues errauimus, homo a uia sua errauit; et Dominus tradidit eum pro peccatis nostris, et ipse propter maletractationem non aperuit os. Tamquam ouis ad occisionem ductus est, et tanquam agnus ante eum qui se tonderet mutus, sic non aperuit os. In sua humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrauit? quia tollitur a terra uita illius. Propter iniurias populi mei deuenit in mortem. Et dabo malos pro sepultura eius, et diuites pro morte illius : quia iniuriam non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Et Dominus uult emundare

4. *Dixit*] Gr. “ dicit ”. Is. 53, 1-12.

6. *coram ipso*] ως παρδίον interpres praetermisit, aut librarius.

7. *non habebat speciem*] Erat primum “ non speciem habebat ”.

8. *deficiens et deformis*] Gr. ἀτιμον,

ἐκλεῖπον.

19. 21. *aperuit*] Gr. “ aperit ” (ἀνοίγει)

21. *os*] αὐτοῦ addit Gr., quod pronomen Latinus interpres et Syrus pariter cum ἐν τῇ ταπεινώσει coniungunt.

22. *enarrauit*] lege “ enarrabit ”.

eum a plaga. Si dederitis uos pro peccato, anima uestra uidebit semen diuturnum. Et uult Dominus auferre a labore animam eius, et ostendere illi lumen, et formare consilio, iustificare iustum bene seruientem multis; et 5 peccata ipsorum ipse portat. Propterea ipse heres erit multorum, et fortium partietur spolia: propter quod tradita est in morte anima eius, et cum inquis deputatus est, et ipse multorum peccata portauit, et propter peccata eorum traditus est morti. Et iterum dixit: Ego sum 10 uermis et non homo, obprobrium hominum et abiectio plebis. Omnes qui uiderunt me deriserunt me, locuti sunt labiis et mouerunt caput, et dixerunt: Sperauit in Domino, eripiat illum; saluum faciat eum, quoniam uult eum. Uidete, fratres, quale exemplum datum est nobis. 15 Si enim Dominus noster sic humiliauit se, quid faciamus nos, qui iugo gratiae eius per eum uenimus?

XVII. Imitemur illos, qui in pellibus caprinis et melotes ambulauerunt prædicantes aduentum Xpisti: dicimus autem Eliam et Eliseæ et Ezechiel prophetas, 20 et eos quibus testimonium datum est. Habrae magnifice datum est testimonium, et ideo amicus Dei cognominatus

1. *anima uestra*] scripsi, quamvis librarius, haud satis intellecto verbo “dederitis”, scribendum sibi esse duixerit “animas uestras”. — *uidebit*] intactum ipse servaverat; sed mox additae sunt duae litterae *is*, ut legeretur “uidebitis”. Lectionem primigeniam restitui ex Gr. ἦ ψυχὴ ὑμῶν ὄψεται.

3. *et*] ante “ostendere” om. Gr. *formare consilio*] scripsi secundum Gr. πλάσσει τῇ συνέσει. Cod. “firmare consilium”.

5. *portat*] Gr. “portabit.”

9. *morti*] om. Gr.

11. *dixit*] (Gr. “dicit”). Ps. 21, 7-9.

Ego] “autem” add. Alex. et Syr.

12. *et dixerunt*] om. reliqui mss.

14. *fratres*] “viri dilecti” Gr.

15. *faciamus*] Ita cod. Alexandr.; Const. vero “faciemus”.

16. *iugo*] Gr. “sub iugum”.

18. *melotes*] (Gr. μηλωταῖς) nolui mutare in “melotis”.

19. *Eliseae*] pro “Elisae” iuxta Gr. Ἐλισαῖς. Diphthongus ae postea mutata est in um, ut fieret “Eliseum”. Post Ἐλισαῖς cod. Alex. add. ἔτι δέ.

20. Ante “et eos” codd. Gr. et Syr. add. “praeter hos”.

est; qui dixit intuendo maiestatem Dei humiliando se: *Ego sum terra et cinis.* Et de Iob scriptum est sic: *Et erat Iob iustus sine querella, uerax homo, timens et colens Deum, et abstinens se ab omni mala re.* Sed tamen hic de se detraxit dicens: *Nemo est mundus a sorde, nec si unius diei fuerit uita eius.* Moyses fidelis in omne domo Dei dictus est, cuius per ministerium Deus dampnauit Ægyptum poenis et tormentis sæuis. Sed et hic honoratus a Deo magnifice non locutus est magnum uerbum, sed dixit, cum de rubo loquebatur cum eo: *Qui sum ego, ut mittas me, ut educam plebem tuam? quia ego sum gracili uoce et tardus lingua.* Et iterum dixit: *Ego sum uapor ab olla.*

XVIII. Et | f. 108^v | quid uero dicemus propter Dauid, cui testimonium datum est, propter quem dixit Deus: *Inueni hominem secundum uoluntatem cordis mei, Dauid filium Iesse; in misericordia sempiterna unxi eum?* Et tamen hic dixit ad Deum: *Miserere mihi secundum*

2. Gen. 18, 27.

2-4. Iob 1, 1.

3. *querella*] Prior e duabus litteris / postea deleta est punto subposito.

timens et colens Deum] Gr. θεοτεβής.

4. *male re*] Ita cod. Syr. et LXX, πονηροῦ πράγματος; reliqui mss. “ab omni malo”.

5. *dicens*] Iob 14, 4-5.

6. *in omne*] Ita codex.

7. *Dei*] “eius” cod. Alex.; om. Const. Cf. supra p. 4, l. 6, etc.

8. Pro “sævis” in Gr. habetur αὐτῶν, quod quidem haud ita facile intellegitur. Aliud quid legebat Latinus noster, fortasse δεινῶν, nam αἰκισμάτα δεινά § 6 “poenas saevas” interpretatus est.

9. *a Deo*] om. Gr. Dubito an scriben-

/a dum sit “adeo”, licet codex distinete exhibeat “a Deo”.

10. *Qui*] nolui mutare in “quis”. — Exod. 3, 11; 4, 10.

11. *ut educam plebem tuam*] Latinus noster solus addidit.

12. 18. “dicit” Gr.

16-17. Cf. Ps. 88, 21.

16. *secundum uoluntatem cordis mei*] Gr. brevius χατὰ τὴν καρδίαν μου.

17. *in misericordia*] Funk potiorem existimavit lectionem codicis Syriaci et Clementis Alexandr. “in oleo”. At vero Graecus uterque lectionem alteram exhibent; neque aliter legisse videtur S. Hieronymus, Comm. in Is. c. 55, v. 3 (Migne P. L. 24, 551).

18. sqq. Ps. 50, 3-19.

mihi] “Deus” add. Gr.

*magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem
misericordiae tuæ dele peccatum meum. Magis magisque
laba me ab iniusticia mea, et a peccato meo munda me;
quia iniuriam meam ego cognosco, et peccatum meum
contra me est semper. Tibi soli peccaui, Deus meus, et
malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis,
et uincas cum iudicaris. Ecce enim in iniurias con-
ceptus sum, et in delictis concepit me mater mea. Ecce
enim ueritatem dilexisti: incerta et occulta salutis ma-
nifestasti mihi. Asperges me ysopo, et mundabor: lauabis
me, et super niuem dealbabor. Auditui meo dabis gau-
dium et læticiam, exultabunt ossa humiliata. Auerte
faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniurias meas
dele. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum
innoua in uisceribus meis. Ne proicias me a facie tua,
et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi
læticiam salutaris tui, et spiritu principali confirma
me. Doceam iniquos vias tuas, et impii ad te conuerten-
tur. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ:
exaltabit lingua mea iusticiam tuam. Domine, labia
mea aperies, et os meum adnunciat laudem tuam.
Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem utique: holo-*

3. *laba me*] scripsi. Cod. "labia mea". Iterum infra betacismi vitium appetet § 44 "imbidia".

5. *Deus meus*] reliqui mss. om.

9. *salutis*] Ita codex; Gr. "sapientiae tuae". Attamen Syrus quoque om. "tuae".

10. *Asperges*] Litera e postea addita est, ut legeretur "aspærges".

18. *doceam*] = "docebo". Cf. Roensch, p. 290.

20. *exaltabit*] Scribendum fuisse

"exultabit" facile conicias ex. Gr. ἀγαλλιάσεται. A priore tamen lectione discedere nolui, quippe quae antiqua esse videatur: neque enim eam ab homine saeculi undecimi primum prolatam esse putaverim.

20-21. *labia mea... et eos meum*] Ita codex Syr. cum Hebr. et LXX: in cod. Alexandr. verborum ordo permutatus est.

21. *adnunciavit*] v pro b.

caustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contribulatum et humiliatum Deus non spernet.

XIX. Cum ergo tanti sint et tales, quibus testimonium datum est, et humiliauerunt se propter obaudientiam Dei, non per se nos, sed et qui ante nos fuerunt in seculo, meliores fecerunt, et eos qui perceperunt eloquia eius cum timore et ueritate. Multa ergo et magna et ornata cum perceperimus, recurramus ad eam quae ab initio tradita est nobis pacis formula, et intueamur in patre et creatore omnis orbis terrarum, et magnis et immensis pacis illius donis hereamus. Uideamus illum sensu nostro, et intueamur oculis animæ nostræ in uoluntate pacientiæ illius. Intellegamus quod sine ira est in omnem creaturam suam. 15

XX. Cæli illius dispositione commouentia secum pace obaudiunt illi; dies et nox datum sibi ab eo cursum explicant, nihil inter se impedientes. Sol et luna et stelarum chorus secundum iussum illius cum concordia sine omni preuaricatione explicant iussos fines sibi. Terra 20

1-2. *contribulatus: cor contribulatum*] Similiter in graeco repetitur verbum συντετριψμένην.

5. *humiliauerunt se*] Quæ add. Gr. καὶ τὸ ὑποδεές in translatione nostra omittuntur.

6. *Dei*] voci "obaudientia" libenter addit interpres. Cf. supra p. 10, l. 7 et 14.

per se] Gr. μόνον. Eadem fere vis locutionis "per seipsum" apud antiquissimum Irenæi interpretem lib. IV, c. 7, n. 4.

9. *ornata*] Gr. ἐνδόξων. Cf. supra, p. 8, l. 2.

10. *intueamur*] a sup. lin. add. 1 m.

in patre] Conf. supra p. 8, l. 5 et infra l. 13.

13-14. *in uoluntate pacientiæ illius*] Idem dicendi modus ac supra p. 13, l. 19. Gr. εἰς τὸ μακρόθυμον ἀντοῦ βούλημα.

14. *quod*] fort. pro "quomodo". Gr. πῶς. Ita etiam infra § 21 "scimus quia ubique...".

16. *commouentia*] nolui mutare in "commouentes".

se cum] Cod. uno tenore "secum".

18. *impedientes*] scripsi. Ms. "impedit ei".

stellarum] Ita codex.

20. *preuaricatione*] Ita legitur in cod. Const. παραβίσεως: quod vocabulum

fructiferans secundum uoluntatem | fol. 109 | illius suis temporibus multiplicatos hominibus et bestiis et omnibus animalibus quæ sunt in ea proferet cibos, nihil dubitans nec permutans decretorum Dei. Abyssorum quoque inexscrutabilia qui sita et inferum inenarrabilia iudicia eisdem decretis Dei continentur. Et infinitum mare, secus uoluntatem Dei collectum in congregations suas, non preterit circumdata sibi claustra, sed quomodo iussit illi Deus, sic facit; quia dixit mari: *Hucusque uenies, et fluctus tui in te confringentur.* Oceanus infinitus hominibus et omnis orbis terrarum eisdem iussis Domini Dei obaudiunt. Tempora uerina et æstiua et quomodo intellectui officiat, sicuti Lightfoot pronuntiavit, haud equidem video. Si enim ad stellas oboedientiae et concordiae virtutes transferuntur, quidni etiam vitium prævaricationis? Neque idcirco fastidio habendam, immo optimam esse dixerim lectionem codicis Alexandrini παρεκβάσεως.

2. *multiplicatos... cibos*] Ms. “multiplicat”. Duas litteras *os*, quae eadem tenui nota ac litterae *us* in fine vocabulorum nonnunquam indicantur, quaeque ideo a librariis saepius omissae sunt, restituendas esse censui iuxta Gr. τὴν πανπλήθη... τροφήν.

3. *proferet*] = profert. Roensch, p. 286.

4. *Dei*] ὁπλῶν. Cf. supra p. 4, l. 6; p. 18, l. 7, etc.

5. *inexscrutabilia qui sita*] Primum scriptum erat “quisita”; deinde tenuis linea est interposita, qua significaretur primam syllabam distinguendani esse ab ultimis duabus. Difficilis utrubique, immo intellectu fere carens lectio, nisi forte scribendum fuisse dicas “inexscrutabilia quaesitu”. Una vox in Gr. legitur ἀνεξηγήστα.

inferum] = inferorum.

6. *iudicia*] Vides ab interprete nostro retentam vocem χρίστα, quam invitit

codicibus Funk aliique in κλίψαται mutare non haesitarunt, Lightfoot vero vir acutissimus servandam esse censuit.

Dei] om. Gr.

Et] ante “infinitum” om. Gr.
infinitum mare] Gr. plenius: τὸ οὐρανός τῆς ἀπειρού θαλάσσης.

7. *secus*] = secundum.

uoluntatem Dei] Gr. δημιουργίαν αὐτοῦ.

9. *Deus*] Iterum add. solus Latinus.

mari] om. Gr. — Iob 38, 11.

10. *infinitus*] i. e. ἀπέρχοντος, prout legitur non solum in codd. Alex. et Const. sed etiam apud Clementem iuniorum, Dionysium Alex. et Didymum. Altera lectio ἀπέραπτος (= intransmeabilis), quam recentiores plerique suo assensu comprobarunt, in cod. Syr. et apud Originem invenitur.

11. *et omnis orbis terrarum*] Scrupulo quodam motus fuisse videtur Latinus noster, ne totam vim graecorum verborum exprimeret, i. e. “et qui trans ipsum sunt mundi”. Cf. S. Augustin. De Civ. Dei, lib. 16, c. 9.

12. *Dei*] om. Gr.

uerina] Tentavit postea quidam eradicare litteram *i*, verum ita leviter ut vocabulum integrum servare non dubitaverim. Cf. graecum ἐαρινοί.

autumnina et hiemalia cum pace decedunt inter se. Uentorum pondera secundum tempus suum ministrationem suam sine impedimento perficiunt. Perhennes etiam fontes, ad saturitatem et sanitatem creati, sine intermissione prestant hominibus uitæ alimenta. Minima etiam animalia congregations suas cum concordia et pace faciunt. Omnia hæc creator magnus Deus meus cum pace et concordia iussit esse, curam omnium habens, super omnia autem nostrum, qui confugimus ad misericordiam ipsius per Dominum Ihesum Xpistum, per quem Deo ⁵ et Patri sit honor, maiestas in secula seculorum. Amen.

XXI. Uidete, fratres, ne multæ indulgentiæ illius fiant nobis in dampnationem, si non digne illo conuersemur, benefacientes quæ placent illi coram eo. Dixit enim : *Spiritus Domini lucerna scrutans promptuaria cordis.* Sciamus itaque quia ubique prope illum sumus, et nihil latet illi cogitationum et consiliorum quæ facimus. Itaque iustum est, non desertores nos esse a uoluntate illius. Magis hominibus dementibus, qui sunt sine sensu, et exaltantes se et gloriantes superbe in uerbis suis offendamus, quam Deum aut Dominum Ihesum Xpistum, cuius sanguis pro nobis datus est. Uereamur eos qui pro

5. *alimenta*] Gr. *μαζούς*, i. e. ubera.

7. *Deus meus*] Mendum esse existimo pro “ dominus omnium ” quod in Gr. legitur.

10. *per quem Deo*] Adverte doxologiam non ad Christum, sicut in graeco, sed per Christum ad Patrem referri.

11. *honor*] “ et ” add. Gr.

12. *fratres*] Gr. *ἀγαπητοι*.

13. *nobis*] “ omnibus ” add. cod. Alex.

14. *Dixit*] “ Dicit ” Gr.

15. *enim*] “ alicubi ” add. Gr.— Prov. 20, 27.

16. *quia ubique prope illum sumus*] Gr. brevius : πῶς ἐγγύς ἔστιν.

17. *cogitationum*] “ nostrarum ” add. Gr.

21. *aut*] om. Gr. in quo etiam illud quod sequitur “ Dominum Jesum ” etc., pendet ex verbo “ uereamur ”.

22. *qui pro nobis sunt*] Gr. τοὺς προηγουμένους ἡμῶν.

nobis sunt : uerecundemur seniores honorem illis tribuentes, iuniores doctrinam doceamus timoris Dei, et uxores nostras ad bona corrigamus, ut dignos amore mores castitatis approbent, et sinceram mansuetudinis suæ voluntatem palam faciant, et quietam linguam suam per taciturnitatem adprobent, caritatem suam, non favorabiles in quosdam, sed omnibus timentibus Deum sancte et æqualem et similem prestant. Nati nostri doceantur in Xpisto, ut discant quid potest humiliatio apud Deum, et quomodo timor illius bonus et magnus est, et omnes saluos facit, qui in eo sancte conuersantur corde puro et cogitatione sincera. Timor enim Dei scrutator cogitationum et intellectus, Dei, cuius spiritus in nobis est, quem si uolet auferret a nobis. | f. 109^v |

¹⁵ XXII. Hæc autem omnia confirmat fides in Ihesum Xpistum, qui per Spiritum sanctum sic nos uocat et

1. *seniores*] “nostros” add. codex. Alex.

3. *dignos amore mores*] Hoc modo scribendum esse existimavi iuxta Gr. τὸ ἀξιαγάπητον τῆς ἀγνείας θόος (ap. Clem. Alex. θόος τῆς ἀγνείας), quamvis in codice “dignos more” tantum legatur.

5. *quietam linguam suam*] Gr. “moderationem linguae suaे”.

per taciturnitatem] Cod. Alex. “per vocem”, quod quidem vix potest intellegi.

7. *sante*] ad verbum “praestent” pertinere Lightfoot recte arbitratus est; quod tamen Funk aliique cum “timentibus” coniungere maluerunt.

et æqualem et similem] Una vox in Gr. ἵση.

8. *nostri*] Ita cod. Syr., Clem. Al., Lightfoot; codices vero Alex. et Const. ὅμων, quam lectionem etiam Funk in textum recepit. Sed cum ubique in praecedentibus articulis legatur ἕμῶν, non est

quare hic pronomen subito mutetur.

9. *apud Deum*] Gr. addit “quid valet casta caritas apud Deum”; quae verba in codice nostro omissa sunt, fortasse propter homoeoteleuton.

11. *corde puro et cogitatione sincera*] Gr. tantummodo ἐν καθαρῷ διανοῇ; attamen Clemens Alex. (P. Gr. 8, 1316) vocem καρδίᾳ retinuit.

12. *Timor e. Dei*] non repetitur in Gr. scrutator] “est” add. codd. Alex. et Const., omittit vero Clem. Alex.

13. *Dei*] ante “cuius” unus ex omnibus noster addidit; qui quidem videtur more suo legisse Θεοῦ pro αὐτοῦ, quod in graeco post “spiritus” habetur. Cf. adn. crit. ad. p. 21, l. 4, etc.

14. *auferret*] = auferet. Scriptum erat “auferre”; posteriore manu additum est in margine “ret”.

15. *Ihesum*] om. Gr.

16. *uocat et hortatur*] Gr. uno verbo : προσκαλεῖται.

hortatur: *Uenite, filii, audite me: timorem Domini docebo uos. Quis est homo qui uult uitam, et cupit uidere dies bonos? Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquuntur dolum. Declina a malo et fac bonum, inquire pacem et consequere eam. Oculi Domini super iustos, et aures eius in præces eorum: uultus Domini super facientes mala, ut disperdat de terra memoriam eorum. Clamauit iustus, et Dominus exaudiuit eum, et de omni tribulatione liberauit eum. Multæ sunt poenæ peccatorum: nam sperantes in Dominum misericordia consequetur.*

XXIII. Misericors ergo et indulgens pater habet uiscera ad timentes eum, et cum pace et mansuetudine gratiam suam tribuet accendentibus ad eum simplici et sincera uoluntate. Itaque non dubii simus, nec diffidat anima nostra propter immensa et gloria munera illius in nobis. Longe sit scriptura hæc a nobis quæ dixit: *Miseri hi sunt qui dubitant, non credentes animæ, qui dicunt: Hæc audiebamus sub patribus nostris, et ecce senuimus, et nihil nobis horum contigit. O insensati,*

1. *Uenite* etc.] Ps. 33, 12-18. 20.

7. *disperdat*] lege “disperdat”.

9. *tribulatione*] Gr. “tribulationibus eius”. In eo tamen convenit interpres noster cum Clemente Alex., quod hic pronomen “eius” similiter omittit.

10. *Multæ sunt poenæ*] Ps. 31, 10. Versus “Multæ tribulationes” etc. omittitur sicut in codice Alexandr. propter iterationem vocis “Multæ”.

11. *nam*] = “autem”, ut supra p. 14, l. 14 et p. 15, l. 6 etc.

12. *sperantes*] Ita cod. Alex.; reliqui vero “sperantem”.

13. *consequetur*] scripsi. Cod. “consequentur”. Gr. χυκλώσει, pro quo nos-

trum διώξει legisse mihi suspicio est. Cf. supra lin. 5.

14. *Misericors ergo*] “ergo” om. Gr. sed inserit κατὰ πάντα, quod quidem in ep. ad Hebr. 4, 15 = “per omnia”.

15. *diffidat*] = “tribuit”.

16. *simplici et sincera*] Gr. uno verbo: ἀπλῆ. Cf. p. 23, l. 7, 11 et 16.

17. *tribuet*] Recte igitur Bryennius verbum ινδιλλέσθω “ταυτόσημον τῷ ίλιγγιῶν, ἐνδοιάζειν, καὶ ισοδύναμον τῷ διψυχεῖν” existimat; quod Funk post Harnack vertere maluit “efferratur”.

18. *in nobis*] om. Gr.

19. *dixit*] Gr. “dicit”.

20. *qui dicunt*] scripsi. Cod. “quæ”.

comparate uos ligno, sumite uineam: primum folia mittit, deinde flos nascitur, deinde fit uua acerba deinde matura presto est. Uidete quia tempore breui ad matritatem deuenit fructus ligni. Reuera cito enim erit, et 5 subito consummabitur uoluntas Dei, affirmante scriptura: Cito uenit et non tardabit, et subito ueniet Dominus in ædem suam, et sanctus quem uos expectatis.

XXIV. Consideremus, fratres, quomodo palam facit Dominus et ostendit nobis futuram resurrectionem, 10 cuius inceptionem fecit Dominum Ihesum Xpistum filium suum, quem a mortuis suscitauit. Uideamus, fratres, cotidianam resurrectionem diei et noctis. Nox dormitio est, dies resurrectio; dormit nox, surgit dies. Uideamus et fructum: seminatio quomodo fit? Exiit qui 15 seminat, et seuit in terra: primum resoluitur, deinde post solutionem maiestas Dei prouidentiæ suæ suscitat illud, et crescit, et adferet fructum de uno grano multum.

1. *primum folia mittit*] Gr. “foliis nudatur” (φυλλοφεῦ), pro quo Latinus interpres fortasse legebat φυλλοφυεῖ aut φυλλοφορεῖ. Tum haec verba idem omittit quae in Gr. proxime sequuntur: “postea fit germen, deinde folium”.

5. *Dei*] Rursus Θεοῦ pro αὐτοῦ.

6. *uenit*] Gr. “veniet”.

7. *ædem*] Manu posteriore sed antiqua sup. lin. perperam additum est “vel s”, quo significaretur posse quoque legi “sedem”.

8. *fratres*] Gr. “dilecti”, ut supra p. 22, l. 12.

9. *palam facit et ostendit*] Gr. “ostendit perpetuo” (διηγενώς). An forte legit noster δηλωτικῶς aut quid simile?

10. *Dominum*] scripsi; Cod. “dominus”.

11. *filium suum*] om. reliqui mss.

12. *fratres*] Gr. “dilecti”.

13. *cotidianam*] Gr. “quae fit suo tempore”; Syr. “in omni tempore”.

14. *diei ac noctis*] om. Gr. sed continuo haec addit, quae in codice nostro praetermittuntur: “Dies et nox resurrectionem nobis ostendunt”.

15. *Nox dormitio ... surgit dies*] Tautologiam esse manifestum est. Revera in Gr. semel legitur: “cubat nox, exsurgit dies”; tum aliud additur, quod praetermisit interpres: “dies abit, nox supervenit”.

16. *quomodo*] Gr. plenius: πῶς καὶ τίνα τρόπον.

17. *in terra*] Iterum om. scriptor “unumquodque seminum, quae nuda et arida ceciderunt in terra”, propter iterationem verborum “in terra”.

18. *adferet*] = “ad fert”. Conf. supra p. 21, l. 3.

XXV. Uideamus et hanc rem miram, quæ fit in regione orientis, in loco Arabiæ. Auis enim, quæ uocatur fenix, et est unica, hæc uiuit annis . d . Quæ, cum appropiauerit finis mortis eius, facit sibi thecam de ture et myrra et ceteris odoribus; et impletum scit esse sibi tempus uitæ, ibi intrat et moritur. Et de umore carnis eius nascitur uermis, qui ibi enutritur, et tempore suo fit pinnatus in auem | fol. 110 | qualis ante fuerat. Et cum fortis factus fuerit, tollit thecam illam in qua ossa prioris corporis illius sunt, et portat illam e regione Arabiæ usque in Ægyptum, in colonia quæ uocatur Solis ciuitas; et interdie palam omnibus uidentibus aduolat, et consedet super aram solis, et ibi ponit eam, et iterum reuertitur unde uenit. Tunc sacerdotes inquirunt scripturas temporum, et inuenient illam quingentesimo anno suppleto uenisse.

XXVI. Magnum ergo et mirabile putamus esse, si Deus omnium creator resurrectionem faciet eorum qui seruiunt illi sancte et bona fide, ubi per auem palam facit uobis maiestatem et ueritatem promissionis suæ? 20

5. et impletum] Legendumne “ et ut impletum ”? Deesse aliquid nemo non videt.

6. uitæ] om. Gr. sed habet Syr.

umore] Perperam super versum addita est littera *h*, ut fieret “ humore ”.

6-8. Auctoris quidem sensum hoc loco reddidit interpres, verborum se-riem non item.

8. pinnatus] posteriore manu mutatum est in “ pennatus ”.

9. prioris corporis illius] Gr. τοῦ προγενέτος = parentis, antecessoris.

10. et portat illam] Gr. “ eaque (ossa) portans perficit iter.”

e regione] scripsi; Cod. “ in regione ”.

11. colonia] de suo addidit homo Latinus.

12. interdie] Ita codex.

et consedet] deest in Gr.

13. eam] i. e. thecam; Gr. αὐτά. sc. ossa.

15. inuenient] = “ inveniunt ”. Habes futurum “ invenibo ” apud Roensch, It. et Vulg. p. 292.

18. Deus] om. Gr.

19. bona fide] Gr. “ in confidentia fidei bonae ”.

20. uobis] Legendum “ nobis ”, ut in Gr.

et ueritatem] om. reliqui mss.

Sicut scriptum est in propheta: *Suscitabis me, et confitebor tibi*. Et iterum scriptum est: *Ego dormiui et soporatus sum; exsurrexi, quoniam tu, Domine, tecum es*. Et iterum dixit in Iob: *Suscitabis corpus meum, quod multa mala passum est*.

XXVII. Itaque hac spe hereant animæ nostræ ad eum, qui uerus est et potens et iustus in iudicando. Qui enim precipit non mentiri,... Itaque fides illius in nobis firmetur, et intellegamus quia omnia uerbo ¹⁰ maiestatis suæ fecit, et uerbo potest ea deicere. Et quis illi dicit: Quare fecisti? Aut quis contrastabit fortitudini uirtutis eius? Quia, cum uolet, et quomodo uult, faciet illa, et nihil preterient quae constituta sunt a Deo. Omnia enim in conspectu eius sunt, et nihil latet uoluntatem ¹⁵ eius. Si cœli enarrant maiestatem Dei, et opera manuum illius adunciat firmamentum; si dies diei eructuat uerbum, et nox nocti indicat scientiam, et non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur uoces eorum:

1. *sicut scriptum est in propheta: Suscitabis*] Gr. paulo aliter: " Dicit enim alicubi: Et suscitabis " etc.

2. *iterum scriptum est*] om. Gr.

Ego dormiui] Ps. 3, 6.

3. *Domine*] om. Gr.

4. " *dicit*" Gr. — Iob 19, 26.

corpus meum, quod multa mala etc.]

Gr. " carnem meam hanc, quae passa est omnia haec".

6-7. *hereant... ad eum* scripsi; Codex "erant... ad Deum"; Gr. ποσθεδεσθωσαν... τῷ πιστῷ.

7. *uerus est*] Gr. omissio " et potens " add. " in promissionibus ".

8. *non mentiri*] Hic quoque supplenda verba a scriptore omissa propter

homoeoteleuton: " multo minus ipse mentietur, nihil enim impossibile apud Deum praeterquam mentiri ".

9. *quia omnia*] Rursus orationis articulum praetermittit librarius ob iteratam vocem " omnia ". Gr. ita: " quia omnia propinqua ipsi sunt; omnia verbo maiestatis " etc.

11. *dicit*] lege " dicet ".

13. *praeterient*] Legendum videtur " praeterier ", subaudiendo " ex his ". *a Deo*] Gr. " ab eo ".

15. *Si cœli* etc.] Ita interpuncta sunt verba in codice nostro, ut potius cum initio capituli sequentis iungenda esse videantur.

XXVIII. Propter omnia ergo, quæ uidentur et audiuntur, timeamus Deum, et relinquamus malorum factorum immundas uoluntates, ut misericordia illius tegamur a iudicio futuro. Ubi enim aliquis nostrum poterit fugere a manu forti illius? et quæ creatura recipiet eum, qui recessit a Deo? Dicit enim scriptura: *Ubi fugiam, et ubi me abscondam ante faciem tuam? Si ascendam in cælo, tu ibi es; et si ibo in fundamenta terræ, ibi manus tua tenebit me; et si descendero in abyssu, ibi est spiritus tuus.* Ubi ergo aliquis ibit, aut quo fugiet ab illo, qui omnia continet?

XXIX. Accedamus ergo ad eum cum sanctitate animæ puræ et intaminatas manus levantes ad eum, diligentes mansuetum et misericordem patrem nostrum, qui elegit nobis partem. Sic enim scriptum est: *Cum dispartiebat Excelsus gentes, cum dispersit filios Adam, statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei; et facta est pars Domini plebs illius Iacob, mensura f. 110^v | hereditatis illius Israhel.* Et in alio loco dixit:

1. *audientur*] = “audiuntur”. De forma futuri “audibo” conf. Roensch, p. 292.

2. *Deum*] Gr. “eum”.

4. *iudicio futuro*] Ita Syr. ubi Gr. plurali numero τῶν μελλόντων κριμάτων.

5. *quæ creatura*] Gr. ποῖος δὲ κόσμος.

6. *a Deo*] “ab eo” Gr.

enim] “alicubi” add. Gr. quod interpres more suo praetermittit.

6-10. Ps. 138, 7-10.

fugiam] Gr. “ibō” ἀφήσω. Clemens vero Alexandrinus, Strom. IV, 22, haud secus ac noster legebant φύγω.

8. *in fundamenta*] Gr. εἰς τὰ ἐσγκατα, quod plerique interpretantur “ad extrema”.

9. *tenebit me*] om. reliqui mss. et Clem. Al.

descendero] Ita Clem. Alex. et LXX; codices vero Gr. et Syr. “stratum posuero” καταστρέψω.

12. 13. *ad eum*] Codex “ad Deum”, ut plerumque: quem hic saltem corrigit esse duxi.

animæ puræ] Gr. “animæ, puras” etc.

15. *nobis*] Legendum esse videtur iuxta Gr. “nos sibi”, licet ἡμᾶς cod. Alex. omittat. Ita nempe in Ps. 46, ubi nos legimus “Elegit nobis hereditatem suam”, alii codices hanc lectionem exhibent: “Elegit nos in hereditatem sibi” (Migne P. L. 29, 212).

scriptum est] Deut. 32, 8-9.

19. et p. sq. l. 13. 14. Gr. “dicit”.

*Ecce Dominus sumet sibi gentem de medio gentium,
quomodo sumet homo initiationem areæ sibi; et exient
de gente illa sancta sanctorum.*

XXX. Pars ergo sancta quia sumus, faciamus omnia
5 opera sanctitatis, fugientes detractiones inmundas, ob-
scenos etiam amplexus, et ebrietates, omnes adinuen-
tiones, inimicas uoluntates, et inmundam moechiam, et
abominandam superbiam: quia Deus superbis contrarius
est, nam humilibus dat gratiam. Hereamus ergo illis,
10 quibus gratia a Deo data est. Induamur concordiam,
humiliantes nos, et abstinentes ab omnibus malis, et ab
omni susurratione et detractione longe recedentes, operi-
bus iustis iustificemur, non uerbis. Dixit enim: *Qui
multa dixit, e contra audiet; et qui multum loquitur,
15 non potet se iustum esse. Benedictus natus mulieris; ne
copiosus sis in uerbis.* Laus nostra sit in Deo, non a no-
bis: quia laudantes se odit Deus. Testimonium nobis
operum bonorum nostrorum detur ab aliis, quo modo
datum est parentibus nostris iustis. Petulantia et audatia
20 et contumelia et temeritas maledictis a Deo; nam clemen-
tia et humilitas et mansuetudo apud benedictos a Deo.

XXXI. Hereamus ergo benedictioni Dei, et uideamus

4. *sancta*] Ita codd. Const et Syr.;
Alexandr. vero “sancti”.

5. *inmundas*] connectit cod. Alex.
cum συμπλοκές, amplexus; codd. Const.
et Syr. cum “detractiones”.

6. *omnes*] om. Gr.

8. *Deus*] “ inquit ” add. Gr.

9. *nam*] = “ autem ”, prout supra
non semel adnotavi.

11. *ab omnibus malis*] om. Gr.

13-16. Iob 11, 2-3.

14. *e contra*] pro “ et contra ”? Gr.
καὶ ἀνταχούσεται.

15. *potet*] (= putet) scripsi iuxta Gr.
οἴεται. Cod. “ potest ”.

mulieris] “ brevis vitae ” add. Gr.

18. *detur*] (Gr. διδόσθω) scribere non
dubitavi, licet in codice legatur “ de
cura ”.

19. *Petulantia ... temeritas*] Tria
tantum in Gr. vitia enumerantur: θράσος
καὶ αὐθαίδεια καὶ τόλμα.

20. *nam*] = autem.

a Deo] om. cod. Const.

22. *Dei*] Gr. “ eius ”.

quæ sint uiæ benedictionis. Reuoluamus, quæ ab initio facta sunt. Propter quid benedictus est pater noster Abraham? Nonne propter iusticiam et ueritatem in fide quam habuit? Item Isaac, qui cum confidentiam sciens futurum libenter adducebatur ad uictimam. Et Iacob cum humilitate exiit de terra sua propter fratrem suum, et abiit ad Labam, et seruiit ei; et data est ei sceptra. XII. Israel.

XXXII. Quod si quis singula intuetur diligenter, cognoscet magnitudinis munerum Dei, quae ipse dedit. Ex ipso enim sunt nati sacerdotes et leuitæ, et omnes seruientes altari Dei; ex ipso Dominus Ihesus secundum carnem; ex ipso reges et principes et duces secundum Iudam. Cætera vero sceptra eius nec in modica gloria sunt, tanquam promittente Deo, quia *erit semen tuum sicut stellæ celi*. Omnes itaque glorificati sunt et magnificati sunt, non propter se, aut propter opera sua, aut propter iusticiam quam operati sunt, sed propter uoluntatem ipsius. Et nos ergo, propter uoluntatem ipsius in Xpisto Ihesu uocati, non per nos iustificamur, neque

3. *in fide*] om. Const.

4. *Isaac*] ex “Isac” i manu corr.

5. *cum*] ante “confidentiam” propter iterationem eiusdem syllabæ librarius omisit. Gr. μετὰ πεποιθήσεως. Litteram *m* in fine vocabuli sequentis parasiticam esse facile perspicies.

7. *Labam*] *m* pro *n*. Cf. Roensch, p. 457.

8. *est*] nolui mutare in “sunt”, licet id quidem corrector antiquus tentaverit. Nempe singulare ἐδόθη singulare curavit reddere fidus interpres. Alias huius rei exempla invenies apud Roensch, p. 435.

9. *singula*] *s* et *g* in rasura.

10. *magnitudinis*] lege “magnitudines” Gr. μεγαλεῖα.

munerum] Cod. “numerum”.

Dei] om. Gr., supplendum tamen esse Lightfoot praesensit. Latinus noster ita hunc locum interpretatur, ut munera quidem Dei esse significet, sed a quo praestentur, utrum ab ipso Deo an vero ab Iacob, in incerto relinquat: nam pronomen “ipse” aequa ad Deum et ad sanctum patriarcham referri potest.

11. *et*] ante “omnes” om. Gr.

per nostram sapientiam uel prudentiam aut pietatem aut operum quæ dinumerauimus in sanctitatem cordis, sed propter fidem, per quam omnes qui a seculo sunt omnipotens Deus iustificauit: | fol. 111 | cui sit honor et gloria in secula seculorum. Amen.

XXXIII. Quid ergo dicemus, fratres? Cessabimus a bono facto, et derelinquemus caritatem? Nequaquam permittat Dominus in nobis hoc fieri, sed festinemus cum instantia et sollicitudine omne opus bonum perficere. Ipse enim constitutor et Dominus omnium in operibus suis lætatur. Magnifice enim uirtuti suæ cælos instituit, et incomprehensibili prudentia sua adornauit illos. Terram quoque separauit a circumtinente illam aqua, et stabiliuit supra diligentissimum sui consilii fundatum. Animalia uero, quæ in ea crescent, sua dispositione iussit esse. Mare et quæ in illo animalia præparans inclusit sua uirtute. Super omnia fortissimum et omnibus maius hominem sanctis et puris manibus plasmavit suæ imaginis effigiem. Sic enim dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit*

1. *aut operum*] = opera. Gr. ἡ ἔργων.
Cf. infra § 41 “pro pontifice et illorum pr. ministrorum”.

2. *dinumerauimus*] κατελογισάμεθα pro κατειργασάμεθα?

sanctitatem] *m* parasiticum.

4. *honor et*] om. Gr.

6. *dicemus*] Consonat cod. Const. ἐροῦμεν; reliqui vero ποιήσωμεν.

11. *Magnifice e. uirtuti suæ*] Dativus Graecorum pro ablativo. Lege: “Magnifica e. virtute sua”.

13. *circumtinente*] Erat prius, ni fallor, “circu tenentem”. Posterior manus *m* post *u* addidit, tum litteram *e* syllabæ

sequentis mutavit in *i*, ac demum ultimam litteram erasit.

15. *quæ in ea crescent*] “crescent” pro “crescant” scriptum esse facile conicias. Neque vero ita redditur verbum graecum φοιτῶντα: fortasse φυτῶντα aut quid simile legebat interpres.

16. *præparans*] iuxta lectionem codd. Const. et Syr. προετοιμάζεις; Alex. vero προδημιουργίσας.

17. *omnibus maius*] Gr. addit “secundum intellectum”, quod Ioannes Damascenus pariter omittit. Cf. Lightfoot II, 102.

19 Gr. “dicit”. — Gen. 1, 26-27.

Deus hominem : masculum et feminam fecit eos. Hæc uero omnia perficiens, laudauit illa et benedixit et dixit: *Crescite et multiplicamini.* Uideamus quia in operibus nostris ornati sunt omnes iusti, et ipse Dominus operibus bonis ornando se gauisus est. Habentes igitur hoc exemplum, in pigre accedamus uoluntati eius: ex tota uirtute nostra operemur opus iusticiae.⁵

XXXIV. Bonus operarius cum fiducia accipiet panem operis sui; infirmus et remissus non perspicit oculis ad eum, qui ei prestat perficienda opera. Oportet ergo nos ¹⁰ uoluntarios esse ad benefaciendum: ex ipso enim sunt omnia. Prædixit enim nobis: *Ecce Dominus, et merces eius ante faciem illius, reddere unicuique secundum opera sua.* Hortatur ergo nos, credentes ex toto corde sibi, non pigrös neque remissos esse in omne opus ¹⁵ bonum. Gloria nostra et fiducia sit in ipso, subdita uoluntati eius. Consideremus omnem multitudinem angelorum eius, quomodo uoluntati eius deseruiunt adstantes. *Milia milium adstabant illi, et dena milia milium deseruiebant ei.* Et clamabant: *Sanctus, sanctus, sanctus* ²⁰ *Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis maiestate creatura gloriæ eius.* Et nos itaque, in concordia simul congregati conscientiae, tamquam ex uno ore uociferemur

2. *dixit]* Gen. 1, 28.

4. *nostris]* Haud dubium quin legendum sit “bonis”, ut in reliquis mss.

5. *bonis]* cum nostro add. Const. et Syr.; om. Alex.

8. *accipiet]* = accipit. Cf. supra, p. 24, l. 14; p. 26, l. 15; p. 28, l. 1; p. 29, l. 1 et 2; p. 31, l. 15 etc.

9. *adeum]* Codex perperam “ad deum”.

12. *Prædixit]* ms. ut mos est, pro “praedicit”. — Is. 40, 10; 62, 11.

16. *subdita]* Codd. Gr. ὑποτασσώμεθα ; legebat forte noster ὑποτασσόμενα.

18. *adstantes]* Inserit Gr. “Dicit enim scriptura”.

19-22. Dan. 7, 10; Is. 6, 3.

21. *maiestate]* om. Gr.

22. *itaque]* scripsi ; codex “idque” ; Gr. οὖν.

23. *conscientie]* Dativus pro ablativo, Graecorum more (τῇ σὺνειδήσει). Cf. supra, p. 31, l. 11.

ad illum instanter, ut participes esse possimus magnarum et honorificentissimarum promissionum eius. Dicit enim : *Quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Dominus sustinentibus eum.*

5. XXXV. Quam beata et mirabilia, dilectissimi, munera Dei ! Uita cum immortalitate, ueritas cum fiducia, fides cum confiden | f. 111^v | tia, abstinentia cum sanctitate: et hæc quæ incident cogitationi nostræ. Quæ utique sunt, quæ præparabuntur sustinentibus? Creator et pater seculorum per omnia sanctus ipse nouit qualitatem et decorum illorum. Nos ergo certemur inueniri in numero sustinentium, ut percipiamus repromissa dona. Quomodo autem erit hoc, carissimi? Si et confirmata fuerit mens nostra fideliter ad Deum; si exquiramus placita et accepta ei; si perficiamus quæ pertinent ad inmaculatam uoluntatem eius, et secuti fuerimus uiam ueritatis; si procientes a nobis omnem iniquitatem, maliciam et cupiditatem, contentiones, malignitates et dolos, susurrations et contumacias et contumelias et superbiam et uanam .

2. *honorificentissimarum*] Superlativum positivi loco. Lege Roensch, op. cit., p. 415 sq.

3. *Quæ*] codd. Const. et Syr.; om. Alexandr.

4. *Dominus*] om. Alex.

sustinentibus] Ita cod. Alex.; Const. vero et Syr. “diligentibus”.

5. *dilectissimi*] Gr. “dilecti”. Cf. supra l. 2.

6. *immortalitate*] In Gr. additur : “splendor in iustitia”; quae verba interpreti vel librario nescio qua de causa exciderunt.

8. *quæ incident*] (= “incident” cf. p. 15, l. 31) scripsi; Cod. “indicent”. Legebat noster cum Syr. ὅποι πίπονται

pro ὅποι πίπει πάντα quod in cod. Const. habetur.

11. *certemur*] Cf. supra “certatae sunt” p. 6, l. 16.

12. *sustinentium*] “eum” add. cod. Alex.

14. *fideliter*] Ita cod. Const. πιστῶς; Alex. πίστεως; Syr. quem editt. plerique secuti sunt διὰ πίστεως.

16. *si*] non repetunt reliqui mss.

17. *maliciam*] Consonant Const. et Syr. πονηρίαν; Alex. vero ἀνορίαν.

19. *et contumacias et contumelias*] Gr. καὶ καταλαλίας, θεσπυγίαν, quod noster alio fortasse modo legebat.

superbiam] ex “super uiam” posteriore manu correctum.

gloriam et uanitates et inhumilitatem. Qui enim faciunt hæc, odibiles sunt a Deo; non tantum faciunt ea, sed etiam consentiunt facientibus. Dixit enim scriptura: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iusticias meas, et assumis testamentum meum in os tuum? Tu autem odisti disciplinam, et abiecisti sermones meos post te. Si uidebas furem, concurrebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit maliciam, et lingua tua concinnabat dolum. Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas, et aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti, et tacui. Existimasti iniquitatem, quod ero tibi similis: arguam te, et exibebo ea coram te. Et intelligite hæc omnes, qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat tanquam leo, et non sit qui eripiat. Sacrificium laudis honorificauit me, et illic uia in qua ostendam illi salutare Dei.*

XXXVI. Hæc est uia, carissimi, in qua inuenimus salutem nobis in Ihesum Christum, pontificem et aduocatum precum nostrarum, et adiutorem infirmitatis nostræ. Per hunc intuemur in alta cælorum Dei, per

1. *inhumilitatem*] Mendum dicat quis, pro “inhospitalitatem”. Gr. ἀφιλοξενίαν. Attamen in codice Alexandr. habetur φιλοξενίαν, quod nonnulli legendum esse φιλονεικίαν vel φιλοδοξίαν iam olim contenderunt.

2. *non tantum*] subaudi “qui”.

3. Gr. “Dicit”.

4-16. Ps. 49, 16-23.

5. *in*] Ita Alex. ἐπί; Const. vero, Syr. et LXX “per”, διά.

8. *abundauit maliciam*] Graecismus ἐπλεόνασεν κακίαν.

12. *iniquitatem*] Ita codex Syriacus cum LXX; Alexandr. autem “inique”.

13. *ea*] Cod. Alex. “te”; Syr. “peccata tua”.

Et] ante “intelligite” om. Gr.

15. *honorificauit*] nolui mutare in “honorificabit”.

16. *in qua*] Gr. “quam”.

18. *in*] ante “Ihesum” perperam inseruit scriba, nulla enim praepositio in Gr. Huic autem addendae ansam dedisse suspicor maximam quam inter se habent litterae IH et IN similitudinem.

19. *precum*] “oblationum” ($\piροσφορῶν$) Gr. qui quidem hoc modo verba inter se connectit: “pontificem oblationum nostrarum, advocatum et adiutorem infirmitatis nostræ”.

20. *Dei*] om. Gr.

hunc tamquam per speculum uidemus inmaculatam et præcellentem faciem eius, per hunc aperti sunt nobis oculi cordis, per hunc tenebrosa et sine sensu mens nostra refloruit in luce; per hunc uoluit Deus inmortali-
 5 tatis scientiæ gustare nos, qui est splendor magnitudinis eius, tantum maior angelorum, quantum precellentem hereditauit nomen. Scriptum est enim : *Qui facit ange-los suos spiritus, et ministros suos ignem urentem.* Ad filium autem suum sic dixit: *Filius meus es tu, ego*
 10 *hodie genui te. Pete a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam,* | fol. 112 | *et possessionem tuam terminos terræ.* Et iterum dixit ad eum: *Sede ad dexteram meam, donec po-*
niam inimicos tuos sub pedibus tuis. Qui sunt ergo inimici Dei? Homines mali, qui non obaudiunt uoluntati illius.
 15 XXXVII. Militemus itaque, fratres, cum omni perseuerantia in eminentibus preceptis eius. Consideremus militantes principibus, quam mansuete obaudiunt et iussa faciunt, quæ praecipiuntur illis. Et non omnes.

1. *tamquam per speculum uidemus*] Syr. haud absimili circumlocutione utitur: “videamus (*seu videbimus*) tanquam in speculo”. Gr. ἐνοπτριζόμεθα.

3. Post “oculi” tres litterae erasae fuerunt.

4. *refloruit*] Gr. “reflorescit”.

in luce] Syr. et Clem. Alex. “in lu-
 cem”; cod. Alex. “in admirabilem
 lucem eius”; Const. “in admirabilem
 lucem”.

inmortalitatis] Legendum “inmor-
 talis” iuxta Gr. ἀθανάτος.

5. *scientiæ gustare*] Graecanica dictio γνῶσεως γεύσασθαι.

6. *maior angelorum*] Genetivus com-
 parationis = μείζων ἀγγέλων. Cf. Roensch,
 p. 435.

7. *enim*] “sic” add. Gr. — Ps. 103, 4.

8. *ignem urentem*] Ita LXX; sed codd. Gr. uterque “ignis flamمام”.

9. Ps. 2, 7-8.

12. “dicit” Gr. — Ps. 109, 1.

13. *sub pedibus tuis*] Gr “scabellum
 pedum tuorum”.

14. *Dei*] om. Gr.

qui non obaudiunt] Gr. “et qui se
 opponunt”.

16. *eminentibus*] Gr. ἀμόδιοις, idem
 adiectivum quod supra l. 1 translatum
 est “inmaculatam”.

17. *principibus*] “nostris” add.
 Gr.

quam mansuete obaudiunt] Gr. magis
 exprimit: πῶς εὐτάκτως, πῶς εἰκτικῶς,
 πῶς ὑποτεταγμένως.

18. *Et*] om. Gr.

sunt prefecti nec tribuni nec centuriones nec quinqua-
genarii nec decuriones nec de inequis ceteri; sed quisque
suo ordine iussa regis et prepositorum perficiunt. Maio-
res sine minoribus non possunt esse, nec minores sine
maioribus: mixtura est in omnibus, et aliud alio opus 5
est. Sumamus exemplum a corpore nostro. Caput sine
pedibus nihil potest, nec pedes sine capite; et minutiora
membra corporis nostri, quamuis necessaria sint et apta
toto corpori, tamen conspirant et eodem iusu obaudiunt,
ut saluum sit totum corpus. 10

XXXVIII. Saluum ergo sit nobis totum corpus in
Xpisto Ihesu, et obaudiat quisque proximum suum,
sicut est in gratia sua. Curet fortis infirmum, et infir-
mus obaudiat forti; locuples prestet pauperi, et pauper
gratias agat Deo, quia dedit illi Deus, per quem imple- 15
tum est quod illi deerat. Sapiens palam faciat sapientiam
suam, non tantum uerbis, sed et operibus bonis. Qui
humiliat se, non ipse se laudet, sed paciatur ut alter eum
laudet. Qui castitatem seruat, non glorietur, sed sciat

1. *tribuni*] Gr. χιλιαρχοι.

2. *nec decuriones*] solus add. Latinus noster. Cf. tamen Exod. 18,21 et Clem. Hom. X, 14.

de *inequis*] Hoc vocabulum nusquam alibi deprehendisse me fateor, quod quidem de equitibus (εφίπποις) intellegendum videtur: nisi forte dixeris mendum esse pro "deinceps" iuxta Gr. τὸ καθεξῆς.

5. et *aliud alio* (= alii cf. Roensch. p. 275) *opus est*] Gr. paulo aliter a plerisque redditur: "et in his usus", "et inde utilitas".

7. *nihil potest*] Gr. "nihil est".

et minutiora] scripsi; Cod. "eminen-
tiora"; Gr. τὰ δὲ ἐλάχιστα.

9 *toto*] = toti. Roensch, p. 276.

Ante "conspirant" Gr. add. πάντα.

12. *proximum suum*] in "proximo suo" posteriore manu mutatum. Priorem lectionem retinendam esse censui. Cf. Roensch, p. 414.

13. *Curet*] Codex divisus syllabis: "cur et".

15. *agat*] antiqua manu super versum additum est.

17. *non tantum uerbis*] Ita Clemens Alex. in Stromat. IV, 17 μὴ λόγοις μόνον; codd. vero Alex. et Const. μὴ ἐν λόγοις (om. μόνον).

19. *Qui castitatem seruat*] Gr. add. "in carne"; cod Alex. insuper inserit verba ητω κατ, quae Lightfoot in textum recepit.

quia Deus est, qui prestat illi castitatem. Cogitemus, fratres, de qua materia sumus, qui et quales uenimus in hunc mundum, de quo monumento et tenebris, qui creauit et finxit nos, induxit in orbem terrarum, qui preparauit nobis omnia bona antequam nasceremur. Omnia ista quæ a Deo habentes debemus in omnia gratias agere illi: cui sit honor, maiestas in secula seculorum. Amen.

XXXIX. Insipientes et sine intellectu et fatui et in-
disciplinati inludent et inridunt, uolentes exaltari cordi-
bus suis. Quid enim potest mortalis? aut quæ uirtus ter-
rigenis? Scriptum est enim: *Et non erat forma ante
oculos meos, sed auram et uocem audiebam. Quid enim?
numquid mundus erit mortalis coram Domino, aut ab
operibus suis innocuus uir?* Aduersus pueros eius non
credit; aduersus autem angelos suos prauum aliquid
sensit. Cælum autem non est mundum coram eo: remittit
autem inhabitantium domos luteas, ex | f. 112^v | quo et
ipsi luto sumus. Lesit eos tineæ modo, et a mane usque ad
uesperum iam non sunt; propter quod non possent sibi
adiuuare, perierunt. Insufflauit eos, et mortui sunt,
propter quod non habent sapientiam. Precare autem,

1. *quia Deus*] Gr. "quia aliis".

6. *quæ*] male repetita ultima littera verbi praecedentis ($\pi\acute{a}\nu\tau\alpha$), sese hoc intrudisse conicio.

7. *maiestas*] om. Gr.

10. *inludent et inridunt*] (= inlidunt et inrident) Gr. add. "nos".

12-17. Iob 4, 16-18.

12. *Et*] om. Gr. cf. supra p. 13, l. 34.

15. *uir?*] "Si" ante "aduersus" add. Gr.

17-21. Iob 15, 15; 4, 19-20.

17. *remittit*] Gr. $\varepsilon\varepsilon\delta\acute{\epsilon}$, $\delta\acute{\epsilon}$ $\chi\alpha\tau\alpha\chi\omega\bar{\nu}\tau\epsilon\varsigma$

" quanto magis habitantes ". Legit noster $\varepsilon\tilde{\chi}$, a verbo $\varepsilon\acute{\chi}\omega$, cum quo genetivum inusitato dicendi modo subiungit. Non multum dissentit cod. Alex. LXX: $\varepsilon\varepsilon\delta\acute{\epsilon} \tau\omega\varsigma \chi\alpha\tau\alpha\chi\omega\bar{\nu}\tau\epsilon\varsigma$.

18. *ex quo et ipsi luto*] Gr. " ex quibus et ipsi ex eodem luto ".

20. *sibi adiuare*] Cf. Roensch, p. 439.

21. *perierunt*] ex "parierunt" 2 manu correctum.

21-22. Iob 4, 21.

22 sqq. Iob 5, 1-5.

si quis tui obaudiat, aut si quem sanctorum nuntiorum uideas. Etenim stultum interficit ira; errantem autem morti tradet zelus. Ego autem uidi insipientes radicem mittentes; sed protinus comesta est eorum habitatio. Longe fiant filii eorum a salute; precipitentur autem super ianuas infimorum, et non erit qui eripiat. Quæ enim illi parauerunt, iusti edent; ipsi autem a malis non eripientur.

XL. Palam sunt ergo nobis omnia, et prospexitis in altitudinem diuinæ scientiæ. Omnia ordine facere debemus, quæ paterfamilias consummare iussit secundum tempora constituta. Oblationes enim et ministeria non uane nec sine ordine iussit fieri, sed constitutis temporibus et horis. Ubi et per quos consummari uoluit, ipse ordinavit suo magno consilio, iuste omnia faciendo opportune accepta sint uoluntati illius. Qui igitur constitutis temporibus faciunt oblationes, benedicti et beati: legibus enim patrifamiliæ apparentes nihil peccant. Pontifici enim sua ministeria data sunt, et sacerdotibus suus locus con-

1. *tui*] posterior manus mutavit in “*ibi*”; genetivum retinui, qui alias quoque cum verbo “*obaudire*” passim invenitur. Cf. Roensch, p. 439. Codex Const. eandem lectionem repraesentat *sou*.

3. Cod. “*trad&*” = tradit.

5. *precipitentur*] Gr. *κολαβρισθεῖσαν* de cuius verbi significatione non satis constat, etsi illud plerique de ignominioso quodam saltationis genere intellegunt. Congruit tamen cum interprete nostro Vulgata s. Hieronymi translatio “conterentur” (Iob 5, 4).

6. *infimorum*] scripsi; Cod. “*infirmorum*”; Gr. *ἱστόνων*.

6-7. *Quæ e. illi parauerunt*] Ita Syr. Gr. vero; “*quae e. illis parata sunt*”.

9. *prospexitis*] Gr. *ἐγκενυφότες*. Male legit noster *ἐγκενύφατε*.

10. *altitudinem*] Codex “*latitudinem*”, quem in hoc loco emendare non dubitavi. Gr. *τὰ βάθη*. Cf. supra, p. 4, l. 9.

11. *paterfamilias*] Gr. *ὁ δεσπότης*. Ita etiam infra l. 18.

12. *ministeria*] *ἐπιτελεῖσθαι καὶ add. Gr., om. Syr. Lege sis adnot. crit. Lightfoot, p. 122.*

15. *iuste*] Gr. *praemittit coniunctionem* “*ut*”.

17. *oblationes*] “*suas*” add. Gr.

18. *patrifamiliæ*] = *patrisfamiliae*. Gr. *τοῦ δεσπότου*.

apparentes] Cf. locutionem a Livio (II, 55) usurpatam: “*Lictores apparere consulibus*”, i. e. asseclarum apud eos obire officia. Gr. *ἀκολουθοῦντες*.

stitutus est, et leuitis suum ministerium propositum sit.
Plebeius homo laicis præceptis datus est.

XLI. Unusquisque nostrum, fratres, in suo ordine placeat Domino in bona conscientia ambulans, non presuарicans propositam ministerii sui regulam, in innocentia. Non ubique, dilecti, offeruntur uictimæ instantiarum uel orationum uel pro peccato et neglegentia, sed in Hierusalem tantum; et ibi quidem non omni loco offertur, sed contra aedem iuxta altarium prolatione expiatum illud quod offertur pro pontifice et illorum preditorum ministrorum. Qui ergo extra uoluntatem illius facientes quid, mortem debitam habent. Uidete, fratres, quanto plurimæ dignati sumus scientiæ, tanto magis sumus sub periculo.

XLII. Apostoli nostri euangelizati sunt ab Ihesu Xpisto Domino nostro. Ihesus Xpistus a Deo missus, apostoli a Xpisto. Facta sunt ergo utraque ordine ex uoluntate Dei. Mandata igitur accipientes, et impleti per resurrectionem Domini Ihesu Xpisti, et fideles facti uerbo Dei, cum plenitudine Spiritus sancti exierunt

1. *sit*] lege “est”.

2. *Plebeius*] scripsi; Codex “plebs eius”; Gr. ὁ λαῖκος.

datus est] Similiter codd. Const. et Syr. δέδοται; Alexandr. vero meliorem lectionem exhibet δέδεται, i. e. “constringitur”.

3. *nostrum*] Cod. Alex. “vestrum”.

4. *placeat*] Ita Const. et Syr. εὐαρεστεῖτω, pro quo in cod. Alex. legitur εὐχαριστεῖτω.

9. *aedem*] scripsi (Gr. τοῦ νυνὸῦ); Codex “eadem”.

10. *proponitice et illorum p. ministerorum* (cod. *ministeriorum*) = “per pontificem et praedictos ministros”. Cf. supra p. 31, l. 1: “per pietatem aut operum”.

10. *proponitice et illorum p. ministerorum* (cod. *ministeriorum*) = “per pontificem et praedictos ministros”. Cf. supra p. 31, l. 1: “per pietatem aut operum”.

illorum] Pronomen redundant et vice articuli usurpatum. Cf. Roensch, op. cit., p. 419.

15. *nostri*] Gr. ἡμῶν, de quo Lightfoot: “It might be a question however whether we should not read ἡμῶν as in the opening of § 44”.

16. *missus*] Codd. Alex. et Syr. add. “est; Christus ergo a Deo”. Quae verba in cod. Const. sicut in nostro desunt propter homoeoteleton *ἀπὸ τοῦ Θεοῦ*.

euuangelizare regnum Dei incepere uenire. Secundum municipia ergo et ciuitates predicantes, eos qui obaudiebant uoluntati Dei baptizantes, preponebant primitiuā eorum, proban | fol. 113 | tes spiritu, in episcopos et ministros, qui incipiebant credere. Et hoc non nouum : ex multis enim temporibus scriptum erat pro episcopis et ministris. Sic enim dicit scriptura: *Præponam episcopos eorum in iustitia, et ministros eorum in fide.*

XLIII. Et quid mirum, si qui in Xpisto creditum a Deo opus tale de constituerunt illos? ubi et beatus fidelis 10 in tota domo Moyses præcepta sibi omnia notauit in sacris libris; cui et obsecuti sunt ceteri prophetæ testificantes, quæ per eum legibus continentur. Ille enim zelo incidenti de sacerdotali, et contendentium tribuum quæ eorum esset hoc mirifico nomine composita, iussit ex 15 . XII . tribubus principes sibi offerre uirgas inscriptas unuscuiusque tribus nomen. Et accipiens eas alligauit et signauit anulis tribuum principum, et posuit in taber-

1. *euuangelizare*] Graec. “ evangeli-
zantes ”.

incepere (= incipere) *uenire*] Haec verba in codice perperam cum sequentibus coniunguntur.

2. *eos qui o. u. D. baptizantes*] Unde protulerit interpres illa verba, nescio: nihil enim huiusmodi in Gr. aut Syr. codd. invenies.

4. *spiritu*] scripsi iuxta Gr. τῷ πνεύ-
ματι; Codex tamen “ spiritus ”.

5. *ministros*] subintellege “ eo-
rum ”.

7. *enim*] “ alicubi ” add. Gr. Cf. supra p. 15, l. 22, etc.

scriptura] cf. Is. 60, 17.

9. *qui*] = “ ii quibus ”.

10. *de*] Quorsum haec particula pertineat, haud equidem video.

10. *illos*] Gr. “ praedictos ”, ut pag.
praeced. l. 10.

fidelis] “ servus ” add. Gr.

12. *testificantes*] subaudi “ iis ”, ut supra l. 5.

14. *incidenti*] = incidente.

contententium] Genetivus absolutus,
Graecorum more.

tribuum] Ultimam syllabam, quam posterior manus deleverat, restituere non dubitavi.

16. *tribubus*] ex “ tribus ” antiqua
manu correctum.

18. *in tabernaculum*] Paucula verba ob iterationem vocis “ tabernaculum ” omissa ita ex graeco restituenda sunt: “ in tabernaculum testimonii super mensam Dei ; et postquam clausit tabernaculum... ”

naculum, signauit claves similiter et uirgas, et dixit illis: Uiri fratres, cuiusque tribus uirga floruerit, hanc elegit Deus in pontificatum deseruire illi. Luce autem orta conuocauit omnem Israhel . DC . milia uirorum, et ostendit principibus tribuum, et aperuit tabernaculum testimonii, et protulit uirgas: et inuenta est uirga Aaron non tantum florida, sed et fructum habens. Quid putatis, fratres? Non sciebat Moyses hoc fieri? Maxime sciebat: sed ne discordia fieret in Israhel, sic fecit, ut honorifica-
retur nomen ueri et uni : cui honor in secula seculorum.
Amen.

XLIV. Et apostoli nostri scierunt per Dominum nostrum Ihesum Xpistum, quia contentio erit pro nomine aut episcopatu. Propter hanc causam, prudentiam acci-
pientes perpetuam præposuerunt illos supradictos, et post-
modum legem dederunt, ut si dormierint, suscipient uiri alii probati ministerium eorum. Igitur illos constitutos ab illis uel postmodum a quidusdam uiris ornatis consentiente æcclesia omne, et ministrantes sine querela gregi Christi cum humilitate et tacite, sine imbidia, et

1. *et uirgas*] Consonant codd. Gr. οὐαὶ πάρθοντος: potiorem tamen esse lectio-
nem cod. Syr. "et fores" Lightfoot et Funk existimant.

5. *tribuum*] Alex. et Const. add.
"sigilla"; om. Syr.

7. *florida*] Gr. "germinans", βεβλαστηκυῖα.

8. sqq. De vetere versione, immo paraphrasi latina hujus loci, quam J. B. Pitra in Spicilegio Solesmensi edidit, vide sis ea quae in huiusc voluminis praefatione disserui.

10. *uni*] = "unius"; Syr. add. "Dei"; Const. "Domini".

13. *nomine aut episcopatu*] Gr. "no-
mine episcopatus".

14. *accipientes*] scripsi iuxta Gr. εἰληφότες; Codex "accipient ei". Cf. adnot. crit. ad p. 20, l. 18.

15. *perpetuam*] Gr. τελείων. i. e. perfectam, ut pag. seq. lin. 5.

illos supradictos] Cf. p. 39, l. 10.

16. *legem dederunt*] Haud parum conferet, ut vides, Latinus noster controversiis de significatione insolentis verbi ἐπιτομῆν aliquando finiendis. Cf. Lightfoot II, 132; Funk I, p. 116, etc.

17. *illos*] Pronomen vice articuli, ut supra l. 15.

20. *imbidia*] Postea timide mutatum est in "imvidia". Cf. "labia mea" pro "lava me" p. 19, l. 3.

testimonio redditio multis temporibus ab omnibus, hos æstimamus non debere eici ab administratione. Peccatum enim non minimum nobis erit, si eos, qui sine querela et iuste obtulerunt munera episcopatus, reprobemus. Beati qui præcesserunt seniores, qui fructum et perpetuam habuerunt solutionem: non enim uerentur, ne quis illos deponat de loco illo. Uideamus enim, quia quosdam uos reprobastis bene operantes ex illo sine querela illis functo ministerio.

XLV. Prudentes estote, fratres, et zelotipi de eis qui 10 pertinent ad salutem. Incubuistis in sacras scripturas ueras, quas per Spiritu sancto cognouistis, quia | f. 113^v | nihil iniquum neque fictum in eis. Non inuenietis iustos reprobatos a sanctis uiris. Persecutionem sustinuerunt iusti, sed ab iniquis; lapidati sunt ab scelestis, 15 iugulati sunt ab eis qui nefandum zelum et iniquum receperunt. Hæc passi fortiter tulerunt. Quid enim dicimus, carissimi? Danihel a timentibus Deum missus est

4. *munera episcopatus*] Aliter atque recentioribus placuit, τῆς ἐπισκοπῆς cum δῶρῳ noster coniungit interpres. Ita quoque hunc locum Patricius Iunius reddebat: "qui sancte et sine reprehensione episcopatus munera offerunt".

5. *fructum*] Scribendum fuit "fructuosam" ut infra § 56. Gr. εὐχαρπον.

7. *illo*] Gr. "illis constituto"

Uideamus] lege "uidemus".

8. *illo*] articuli vice, uti saepe iam dixi.

functo] scripsi (cod. "facto"), audacter quidem, non tamen sine causa. In Gr. enim legitur τετιμημένης; τιμᾶν autem hoc loco idem valet ac "diligenter obire". Cf. Funk, adn. crit. p. 117. Porro verbum συνώνυμον "fungi" alias quoque usurpatum significatu passivo,

ut puta apud Tertullianum, Praescr. 29: "tot ministeria perperam functa".

10. *Prudentes*] Gr. φιλόνεικοι i. e. contentiosi.

estote] Verbum graecum εστε Lightfoot imperativo modo vertendum esse iam censuerat, plerique contra indicativo.

qui] = quae.

11. *sacras*] om. cod. Alex.

12. *Spiritu sancto*] posterior manus in "spiritum sanctum" mutavit.

13. *iniquum*] Ita codex, ut p. 6, l. 18.

neque fictum] Gr. inserit: "scriptum est".

15. *ab iniquis*] Praetermisit interpres vel librarius illud quod in Gr. sequitur: "in carcerem sunt coniecti, sed ab impiis".

in lacu leonum? aut Ananias et Azarias et Misael ab his, qui colebant magnificam et honorificam illius Excelsi religionem, missi sunt in fornace ignis? Nequaquam hoc fiat. Qui sunt ergo, qui hoc cesserunt? Nefandi et 5 omnis malitiæ pleni in tantum contenderunt furoris, ut eos qui iusto et sine querela propositu seruientes Deo in poenas immittere, ignorantes quia Excelsus propugnator est qui puro corde deseruiunt magnifico nomini illius: cui honor per Dominum nostrum Ihesum Xpis- 10 tum in secula seculorum. Amen.

XLVI. Talibus igitur exemplis herere nos oportet, fratres. Scriptum est enim: *Herete sanctis, quia qui herent illis sanctificabuntur.* Et iterum in alio loco dicit: *Cum sancto sanctus eris, et cum electo electus eris, et 15 cum peruerso peruerteris.* Hereamus ergo bonis et iustis; sunt autem hi electi a Deo. Quare contentiones et iræ et contumaciæ, scissuræ et proelium est in uobis? Numquid unum Deum non habemus, et unum Xpistum, et unum Spiritum gratiæ qui effusus est super nos, et una 20 inuocatio in Xpisto? Quare deducimus et carpimus membra Xpisti, et contendimus ad corpus nostrum, et ad tantam temeritatem deuenimus, ut obliuiscamur quia

2. *magnificam... religionem*] scripsi; codex vero “magnifica et honorifica ... regione”.

3. *illius*] articulo τοῦ respondet, ut supra.

4. *cesserunt*] in “gesserunt” mutare supervacaneum duxi. Gr. δράσαντες.

6. *propositu*] Quarta declinatio pro secunda. Littera u recentiore manu mutata est in o.

7. *immittere*] Gr. ὑπέ... περιβαλλεῖν. Coniunctionis “ut” cum infinitivo multa suppetunt exempla. Cf. Roensch,

It. et Vulg. p. 445.

propugnator est] Subintellege “eorum”, ut supra p. 40, l. 5 et 13, etc. Gr. add. “et defensor”.

9. *per D. n. I. Xpistum*] om. Gr.

10. *Amen*] Desideratur in codice nostro ultima huius capituli periodus obiteratam, ut puto, doxologiam.

13. *dicil*] Ps. 17, 26-27.

20. *inuocatio*] Ita ms. pro “uocatio”.

21. *membra*] Ita quidem hoc loco, etsi paulo post “membra” legitur.

membra sumus alterum? Memores estote uerborum Domini Ihesu. Dixit enim : *Ue illi homini : melius erat ut non nasceretur, quam unum de electis meis scandalizaret. Melius erat illi, circumdari molam collo eius, et precipitari in mari, quam unum de electis meis peruerteret.* Scissura uestra multos peruertit, multos despondere sibi fecit, multos in contumacia, omnes autem nos in tristitia perduxit; et pertinax est uestra contumacia.

- XLVII. Recipite epistolam beati apostoli Pauli. Quem ad modum uobis in principio euangelii scripsit? Uere spiritualiter scripsit uobis pro semetipso et Cefæ et Apollo, propter quod et tunc uos proelia fecistis. Et contumacia illa peccatum uobis intulit: contendistis enim apostolis, quibus testimonium datum est, et uiro probato apud eos. Nunc uide, inspicite qui uos peruerterunt, et quietum habundantis fraternitatis uestræ minuerunt. Turpis, fratres, et ualde turpis et indigna in Xpisto disciplina, audiri stabilitam et antiquam Corin-

1. *alterum*] Gr. ἄλλον. Codex aliter verba distinguit: “ sumus? Alterum memores ” etc.

2. *Domini Ihesu*] scripsi. Cod. “ dm ihm ”.

5. *de electis meis peruerteret*] Ita quoque cum Clemente Alex. vetus versio Syriaca, cuius lectionem Lightfoot scite more suo et luculenter adprobat. Cod. Gr. uterque : τῶν μικρῶν μου σκανδαλίσαι.

6. *uestra*] add. i manu sup. lin.

7. *autem*] om. Alex. et Const.

10. *Quem ad modum*] Codd. Gr. et Syriacus interpres : Τί πρώτον. Latinus autem noster prae oculis habuisse videtur Τίνα πρώτον. Haud adeo spernenda lectio, cum praesertim illud verbum πρώτον sua non careat difficultate.

13. *peccatum*] “ minus ” add. reliqui codd.

15. *Nunc uide*] Codex distinete: “ Nunc vitæ ”. Dum mecum quaero quidnam monstri his in verbis lateat, subit interpretem pro Νῦν δέ legisse Νῦν ἵδε, postea vero sciolum aliquem librarium “ vide ” in “ vitae ” mutasse: nam antiquis scriptoribus sollempne est, δ in t et e contrario t in δ convertere.

16. *quietum*] Gr. τὸ σεμνόν. Posterior manus uero superscripsit e, ut fieret “ quietem ”.

habundantis] scripsi. Erat prius “ habundante ”; deinde 2 manu superscripta est in e littera s. Gr. περιβοήτων i. e. “ nominatissimi ”.

fraternitatis] = fratni amoris.

17. Gr. “ Turpia, dilecti, et valde turpia et indigna illius quae in Christo est disciplinae ”.

thiorum | fol. 114 | aeclesiam propter unam uel duas personas contendere contra seniores. Et hæc auditio non tantum in nobis capuit, sed et in alienigenas qui sunt a nobis, ita ut et blasphemiam inferri nomini Domini propter uestram stulticiam, uobisque periculum immittere.

XLVIII. Tollamus igitur hoc quam celerrime, et procedamus Domino et fleamus precantes eum, ut fiat nobis propicius et super innocuam fraternitatis et castam disciplinam deducat nos. Porta enim iusticiæ in uitam aperta est, sicut scriptum est: *Aperite mihi portas iusticiæ; ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in ea.* Multarum igitur portarum patentium, ad iusticiam haec est quæ in Xpisto, in qua beati omnes qui intrauerunt, et direxerunt itinera sua in iusticia et castitate, sine turbatione omnia consummantes. Sit aliquis fidelis, sit potens scientiam edicere, sit sapiens in iudicio uerborum, sit pudicus in operibus:

2. *Et*] scripsi iuxta. Gr. Καὶ; Cod. “sed”, propter ultimam litteram vocabuli praecedentis. De *t* in *d* mutato cf. adnot. crit. p. 44, l. 15.

3. *capuit*] = “capivit”, perfectum verbi “capesso”.

in alienigenas qui sunt a nobis] = eos qui sunt alienigenæ a nobis.

4. *ita ut... inferri*] Iterum coniunctio “ut” cum infinitivo, ut supra p. 43, l. 7.

7. *ut fiat nobis propicius*] Gr. plenior: “ut propitius factus reconcilietur nobis”.

8. *fraternitatis*] Cf. p. 44, l. 16.

et castam] Deest in Gr. codicibus particula “et”; habetur cum in versione Syr. tum apud Clementem Alexandrinum, Strom. IV, 17, eaque lectio nem faciliorem fieri iam adnotavit Lightfoot II, 145.

9. *deducat* lege “reducat”; Gr. ἀποκαταστήσῃ. Habes infra § 51 “reficiimus” pro “deficimus”.

10. *scriptum est*] Ps. 117, 19-20.

12. *Multarum i. p. patentium*] Genetivus absolutus, ut supra p. 40, l. 14.

13. *ad iusticiam*] Haec verba cum sequentibus coniungenda esse censui iuxta graecum ή ἐν δικαιοσύνῃ, quanquam in codice iunguntur cum participio “patentium”. Interpres noster articulum fortasse non legebatur, quemadmodum nec Clemens Alexandrinus in editt. Stromat. I, 7.

14. *direxerunt*] scripsi. Gr. ξατευθύνοντες. Codex 1 m. “dixerunt”, quod postea mutatum est in “duxerunt”.

16. *scientiam edicere*] Erat prius “scientia me dicere”.

17. *operibus*] Cod. “opibus”. Cf. adnot. crit. ad p. 2, l. 5.

tanto magis humiliare se debet, quanto putat maiorem se esse, et querere quod commode et utile est omnibus, et non quod sibi.

XLIX. Qui habet caritatem in Xpisto, faciat Xpisti præcepta. Uinculum caritatis Dei qui potest enarrare? ⁵ Magnitudinem scientiæ illius quis edicere sufficiat? Altitudo, in qua perducit karitas, inenarrabilis est. Karitas coniungit nos Deo, karitas cooperit multitudinem peccatorum, karitas omnia sustinet, omnia sperat. Nihil inuidum in karitate, nihil fastidiosum; karitas scissuram non ¹⁰ habet, karitas non contendit, karitas omnia facit cum concordia; in karitate consummati sunt omnes electi Dei; sine karitate nihil placitum Deo. In karitate suscepit nos Dominus omnium; propter karitatem quam habet in nos, sanguinem suum dedit pro nobis Ihesus Xpistus ¹⁵ Dominus noster in uoluntate Dei, et carnem pro carne nostra, et animam pro animabus nostris.

L. Uidete, fratres, quam magnum et mirabile est karitas, et consummationis eius non est enarratio. Qui potest in ea inueniri, nisi quem dignabitur Deus? Rogemus et postulemus a misericordia illius, ut in karitate

1. *maiores se esse*] scripsi haud absque scrupulo; Cod. "maiores esse".

2. *commode*] = "commodum". Similiter scribitur supra p. 4, l. 1 "sinceres" pro "sinceri".

utile] ex "ut ille" 2 m. emendatum.

5. *qui*] 2 m. add. *s*, ut fieret "quis." *enarrare*] scribendum esse duxi iuxta Gr. εξηγήσασθαι; codex "temerare". Forsitan quis dicat aliud quid præ oculis habuisse interpretem? Immo pro certo habeo primam litteram verbi "temerare" ex ultima praecedentis vocabuli littera venisse. Cf. supra p. 45,

l. 2 "seniores. Sed " pro "seniores. Et "

6. *scientiæ*] Reliqui mss. "pulchritudinis".

quis edicere] Cod. "qui se dicere", ut p. 45, l. 16.

9. *inuidum*] Gr. βάναυσον. Lege sis ea quae adnotavit Lightfoot ad. cap. 44.

13. "placidum" Cod.

14. *habet*] Gr. "habuit".

18. *mirabile*] Post primam syllabam duae litterae erasae sunt. Erat, ni fallor, "miserabile", ut infra § 60 "miserabilis in uirtute".

20. *quem*] Gr. "quos".

inueniamur sine humana uoluptate innocui. Generationes omnes ab Adam usque in hac die transierunt ; alii in karitate consummati secundum Dei gratiam habent municipium religiosorum, qui palam facti sunt in episcopatu regni Xpisti. Scriptum est enim : *Intrate promptuaria pusillum, quousque transeat ira et furor meus ; et memorabor diei boni, et suscitabo uos de monumentis uestris.* | f. 114^v | Beati sumus, o karissimi, si præcepta faciamus Dei in concordia karitatis, ut remittantur nobis per karitatem peccata. Scriptum est enim : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in ore eius dolum.* Hæc beatitudo facta est in electos Dei per Dominum nostrum Ihesum Xpistum : cui honor in secula seculorum.

LI. Quæcumque ergo excidimus et deficimus propter quasdam incursiones contrarii, postulemus remitti nobis ; illi autem qui principes contentionis et contumaciæ facti sunt, debent communem spem expectare. Qui enim cum timore et karitate conuersati sunt, se uolunt magis ques-

1. *innocui. Generationes*] Aliter cod. “Innocuae fere sepe nationes” : quae tentamenta esse reor librarii sonos *ge* et *se*, formam quoque litterarum *n* et *r*, *p* et *r*, *s* et *f*, inter se permiscentis.

2. *alii*] Perperam legit interpres ὄλιοι pro ἄλλοι.

4. *palam facti sunt*] In Gr. futurum legitur : φανερωθήσονται.

5. *Xpisti*] Codd. Const. et Syr. “Dei”; deficit cod. Alex.

5 8. Is. 26, 20.

10 13. Ps. 31, 1-2.

13. *dolum*] Quod prius erat restitui : postea *m* mutatum est in *s*, ut fieret “dolus”.

15. *seculorum*] Gr. add. “Amen”.

16. *deficimus*] Codex quidem “reficiimus” : sed notum est in antiquis libris *r* pro *d* et *e* contrario *d* pro *r* passim inveniri. Cf. p. 45. l. 9 “deducat” pro “reducat”, et infra § 57 “reponite” pro “deponite”.

propter quasdam incursiones contrarii] Videbat quiddam, nisi fallor, interpres (videlicet διά τινας παρεμπτώσεις τοῦ ἀντικειμένου, uti apud Clementem iuniorem Strom. iv, 18), quod in utroque graeco exemplari vulgato desideratur. In his quippe brevius eoque obscurius διά τινος τῶν τοῦ ἀντικειμένου.

19. *expectare*] = spectare.

20. *conuersati sunt*] Gr. “conversantur”.

tionibus uagari et committere quam proximos; magisque sui querelam adferunt traditæ nobis bonæ et iustæ concordiæ. Bonum enim homini confiteri propter peccata et delicta quam indurare cor suum, sicut induratæ sunt mentes illorum qui restiterunt contra famulum Dei 5 Moysen, quorum damnatio manifesta est: descenderunt enim ad inferos uiuentes, et mors depascit eos. Pharao quoque et exercitus eius et omnes duces *Ægypti*, currus etiam et ascensores eorum non propter aliam causam mersi sunt in rubro mare et perierunt, nisi quod indurata 10 sunt insipientia illorum corda, postquam facta sunt signa et prodigia in *Ægypto* per famulum Dei Moysen.

LII. Nihil eget Deus cuiusquam, fratres; nihil illi cuiusquam opus est, nisi ut confiteatur illi. Quid dicit enim electus Dauid? *Confitebor Domino, et placebit illi* 15 *super uitulum nouellum cornua proferentem et ungulas;* *uideant pauperes et lætentur.* Et iterum dicit: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo uota tua; et inuoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabim* 20 *me. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus.*

LIII. Scitis enim et bene didicistis sanctas scripturas,

1. *uagari et committere*] Unum verbum in graeco legitur περιπέπτειν.

committere] Prius erat “cum mittere”.

2. *adferunt*] = “ferunt”. Cf. Roensch, Itala et Vulg. p. 348. Praeterea inserenda est coniunctio “quam”, ex oscitantia forte scriptoris omissa, nisi sequentem genetivum comparationis esse dixeris, qui a Graecis etiam usurpari solet.

bonæ et iustæ] Gr. “bene et iuste”.

3. *peccata et delicta*] Gr. solummodo: τῶν παραπτωμάτων.

11. *insipientia*] Cod. “in insipientia” prima syllaba, uti saepe evenit, repetita. Gr. ἀσυνέτους.

13. *cuiusquam*] Connectitur ergo hic τῶν ἀπάντων cum ἀπροσδεής. Ita quoque apud Lightfoot; apud Funk vero aliosque cum ὁ δεσπότης. Priorem modum magis mihi placere fateor.

14. *confiteatur*] Deponens forma idem significans ac passiva.

15-17. Ps. 68, 31-33.

17-20. Ps. 49, 14-15.

20. Ps. 50, 19.

dilectissimi, et introiuistis in eloquia Dei. Ad commonitionem ergo hæc scribimus. Moyses enim cum ascendit in montem, fecit XL dies, et XL noctes in iejunio et humilitate, dixit ad illum Deus : *Descende uelociter istinc, quoniam iniuitatem fecit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægipti; transgressi sunt cito de via quam mandasti eis, feceruntque sibi sculptilem.* Et dixit Dominus ad illum : *Locutus sum ad te semel et iterum dicens : Uidi populum hunc, et ecce populus cervicosus est; sine me, et disperdam eos, et delebo nomen eorum de sub celo, et faciam te in gentem magnam et mirabilem et plurimam magis quam hæc est.* Et dixit Moyses : *Nequaquam, Domine; sed dimitte peccatum* | fol. 115 | *huic, aut et me dele de libro uiuorum.* O magna karitatis ! o perfectæ sinceritatis ! fiducialiter agit famulus ad Deum, petit remissionem populo, uel certe se ipsum deleri rogat cum illis.

LIV. Quis ergo in nobis tam stabilis? quis tam misericors? quis habundans karitate? Dicat: Si propter me seditio aut contentio uel scissura est, secedo, uado ubi

1. *introiuistis*] scripsi, non sine scrupulo. Codex perperam : “intonusit”. Gr. ἐγνωσθε = “prospexit” supra § 40. Conf. locutionem “intrare in rerum naturam” apud Cic. De fin. 5, 16 i. e. secretiora naturae introspicere.

3. *montem*] Coniunctio “et” addenda esse videtur, ut in Gr.

4-14. Exod. 32, 7 sqq. — Ante “*Descende*” add. ambo codd. Gr. “*Moyses, Moyses*”: quae verba nec in hoc Scripturae loco nec apud Syrum interpretem leguntur.

7. *feceruntque*] “que” om. Graecus, habet Syrus.

sculptilem] noster iterum cum Syro;

in Graeco autem utroque χωνεύματα plurali numero.

13. *peccatum*] Suspicari licet vocem “populo” in fine paginae per neglegentiam omissam fuisse.

18. *nobis*] Ita etiam cod. Constantopolitanus; Alexandrinus vero et Syrus “vobis”.

stabilis] Aut codicis scriptorem “stabilis” pro “nobilis”, aut ipsum interpretem βέβαιος pro γενναῖος legisse manifestum est.

20. *contentio*] Ultima littera in rasura, duabus aliis litteris deletis. Videtur prius fuisse “contentiæ”.

uolueritis, et facio quae iuuentur a plebe; tantum grex Xpisti cum pace sit cum constitutis presbiteris. Hoc faciens sibi ipsi magnam gloriam in Xpisto adquirit, omnis locus suscipiet eum. *Domini est enim terra et plenitudo eius.* Hæc, qui sine penitentia conuersati sunt, 5 fecerunt et faciunt.

LV. Adhuc autem et exempla gentium adferamus. Multi reges et duces, peste quadam instante per tempus, monitionis acceptis, tradiderunt se in morte, ut eliberarent per suum sanguinem ciues suos. Multi discesserunt 10 de ciuitatibus suis, ne sedicio fieret plurima. Nouimus multos in nobis, qui se tradiderunt uinculis, ut alios liberarent; multos se ipsos tradentes in seruitutem accepto precio suo alios cibauerunt. Multæ mulieres confortatæ gratia Dei perfecerunt multa fortia. Iudith bea- 15 tissima, cum obsideretur ciuitas, postulauit a senioribus, dimitti se abire in castra alienigenarum; tradens se periculo exiit propter dilectionem patriæ et populi qui erat in conclusione, et tradidit Dominus Holofernum in manu feminæ. Non minus et perfecta in fide Hester periculo 20 se inmisit, ut gentem Israel, quae perire incipiebat, liberaret. Per ieunia enim et humilitate sua deprecata est

1. *iuuentur*] posterior manus mutavit in “iubentur”.

3. *adquirit*] lege “adquiret”.

4. Ps. 23, 1.

5. *qui sine penitentia conuersati sunt*] Vim graecorum verborum parum accepit interpres: οἱ πολιτευόμενοι τὴν ἀμεταρέητον πολιτείαν τοῦ Θεοῦ.

6. *faciunt*] Gr. “facient”.

8. *peste quadam... acceptis*] Locus non ita sartu facilis. Pro “instante”, in cod. legitur “instantes”; pro “monitionis” autem, “monitionibus” vel

“monitis” scribendum fuisse facile per spicies.

9. *ut eliberarent*] Vocalis *e* initio verbi “liberarent” inserta est, quod videlicet paulo asperius sonaret littera *t* alteri consonanti praemissa. Eandem consuetudinem servant, qui putidius loquuntur, nostra aetate Itali.

13. *multos*] lege “multi se ipsos”.

20. *minus*] Ita codd. Const. et Syr.; Alexandr. autem “minori”. i. e. periculo.

omnium genitorem Dominum seculorum; qui ut uidit humilitatem animæ eius, liberauit populum propter quem periclitabatur.

LVI. Et nos itaque postulemus pro his qui in aliquo
5 delicto constituti sunt, ut detur illis modestia et humi-
litas, ut subiecti sint, non uobis, sed uoluntati Dei. Sic
erit illis fructuosa et perfecta apud Deum et sanctos eius
cum misericordia memoria. Suscipiamus doctrinam,
supra quam nemo debet contristari. Karissimi, correptio
10 quam facimus in inuicem, bona est, et per quam prodest:
coniungit enim nos uoluntati Dei. Sic enim dicit sanctus
sermo: *Castigans castigauit me Dominus, et morti non
tradidit me. Quem enim diligit Dominus corripit, fla-
gellat autem omnem filium quem recipit. Corripiet enim
15 me, inquit, iustus cum misericordia et erudit me; oleum
uero peccatoris non inpinguet caput meum.* Et iterum
dicit: *Beatus uir quem | f.115^v | corripit Dominus; eru-
ditionem autem Omnipotentis noli repellere: ipse enim
dolorem facit, et iterum restituet; percutiet, et manus
20 eius saluabunt. Sexies de necessitatibus eripiet te, in
septimo autem non te tanget malum. In fame eruet te a
morte; a bello autem de manu ferri redimet te, et a
detractione linguae abscondet te, et non timebis malorum*

1. *omnium* (" omium " Cod.) *geni-
torem*] Gr. παντεπόπτην. Noster legisse
videtur παντοτόκου, aut aliquid simile.

seculorum] "Deum" add. reliqui mss.

6. *uobis*] Gr. " nobis ", et ita quidem
scribendum fuisse appetat.

7. *eius*] om. Gr.

12-13. Ps. 117, 18.

13-14. Prov. 3, 12.

14-16. Ps. 140, 5.

17. sqq. Iob 5, 17-26.

18. Post " ipse ", duae litterae " au "

duobus punctis sub linea positis postea
deletae sunt.

19. *dolorem*] pro " dolere "? Graec.
ἀλγεῖν.

22. *ferri*] scribere non dubitavi iuxta
Gr. σιδήρου, etsi in codice legitur "forti".
Nempe ita sollemne est antiquis scrip-
toribus litterarum e et o, r et t non ser-
vare discrimen.

23. *malorum superuenientium*] Gr.
pariter genetivum habet κακῶν ἐπεργά-
μένων.

superuenientium. Impios et iniquos deridebis, et a bestiis feris non timebis. Bestiae enim silvestræ pacifice tibi erunt. Deinde cognosces quoniam pax est domus tua, dieta autem tabernaculi tui non peccauit. Cognosces autem quoniam copiosum est semen tuum, filii uero tui 5 erunt sicut omne genus agrestium herbarum. Uenies autem in sepultura sicut triticum maturum quod suo tempore metitur, aut sicut acerius areæ qui ora sua erigitur. Uidete, karissimi, quanta protectio est his qui a Domino corripiuntur: pater enim bonus corripit, ut 10 misereatur nostri per sanctam doctrinam suam.

LVII. Uos ergo, qui auctores seditionis fuistis, subjecti estote senioribus, et erudimini ad pænitentiam, curuantes genua cordis uestri. Discite subjecti esse, deponite elationem et superbiam, linguæ uestræ audaciam: melius est enim uos grege Xpisti minimos et claros inueniri, quam excelentes uos æstimantes proiciamini a spe de spe cius. Sic enim dicit laudabilis sapientia: *Ecce proferam uobis meæ aspirationis uerba, doceamque uos meum sermonem. Quoniam uocabam et non obaudiebatis, et extendebam uerba nec intendebatis; sed irrita*

2. *silvestræ*] 2 manu ultimae syllabæ addita est littera *s*, ut fieret “siluestres”.

8. *ora*] lege “hora”.

13. *senioribus*] ex “senoribus”, littera *i* super versum ab ipso scriptore addita.

erudimini] Cod. “erudimi”.

15. *deponite*] scripsi; codex vero “reponite”, *d* in *r*, uti non raro evenit, perperam mutato. Cf. supra, p. 47, l. 16.

elationem] Legit noster substantivum ἀλαζονεῖαν. Ita quidem Syriacus; Graecus vero uterque adiectivum ἀλαζόνα.

superbiam] hoc loco scripturæ men-

dum esse suspicor pro “superbam”.

16. Ante “grege” præpositionem “in” inserendam esse facile conicias ex Gr. ἐν τῷ ποιμανῷ.

17. *excelentes*] pro “excellenter”? Gr. καθ' ὑπεροχήν.

18. *a spe de spe*] Ita codex. Puto librarium scribendo “a spe” ingenio magis suo induluisse quam archetypo; tum, vera lectione descripta, quominus erratum corrigeret abstinuisse.

19. sqq. Prov. 1, 23-33.

doceam] = “docebo” ut supra p. 19, lin. 18.

faciebatis mea consilia, meis autem increpationibus non intendebatis. Itaque et ego uestræ perditioni ridebo, gratulabor autem aduersum uos cum aduenerit uobis subito tumultus, euersio autem similis procellæ cum aduenerit, aut cum uenerit uobis tribulatio et captiuitas. Erit enim cum me inuocabitis, ego autem non exaudiam uos; querent me mali, et non inuenient. Oderunt enim sapientiam, timorem uero Domini non sunt secuti, neque uoluerunt meis consiliis intendere; spreuerunt autem meas increpationes. Itaque edent uice suæ fructus, et sua impietate saturabuntur. Quoniam nocebant paruulis interficientur, et interrogatio impios perdet. Qui enim me audit, habitauit in spe confidens, et silebit a timore malignitatis.

15 LVIII. Obaudiamus ergo sancto et glorioso nomini eius, fugientes | fol. 116 | predictas per sapientiam incredulis comminationes, ut habitemus confidentes supra sanctum iusticiæ nomen eius. Suscipe consilium nostrum, et erit uobis sine poenitentia. Uiuit enim Deus et Dominus Ihesus Xpistus et Spiritus sanctus, fides quoque et spes electorum, quoniam qui fecerit cum humilitate et modestia, cum instantia et tranquillitate, sine pænitentia quæ per Deum datae sunt iusticiæ et

3. Post “aduersum uos”, nonnulla praetermissa sunt quae in Gr. habentur: ἡνίκα ἐν ἔργηται ὑπὸ διλεθρος.

11. *saturabuntur*] Codex Alexandrinus deficit usque ad § 64 initium.

13. *habitauit*] in “habitabit” ab ipso scriptore mutatum est.

18. *sanctum*] Ita Syr.; Const. vero “sanctissimum”.

iusticie] Codex Constantinop. et Syr. τῆς μεγάλωσύνης; interpres noster lege-

bat τῆς δικαιοσύνης.

19. *Deus et*] “vivit” repetunt codd. Const. et Syr., non item sanctus Basilius Magnus, a quo haec ipsa Clementis verba laudantur, De Spir. Sanct. c. 29, ap. Migne P. Gr. 32, 201.

21. *cum humilitate et modestia*] Unum in Gr. vocabulum: ἐν ταπεινοφροσύνῃ.

23. *sine pænitentia*] scripsi; Gr. ἀμεταρελήτως; codex “sine pacientia”. *et precepta*] om. Syr.

precepta, hic ornatus erit et deputatus in numero saluatorum gentium per Xpistum : per quem est illi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LIX. Si autem quidam diffident his quæ ab illo per nos dicta sunt, sciant quod delicto et periculo non modico se tradent. Nos uero innocentes erimus ab hoc peccato, et postulauimus instantem petitionem et obsecrationem facientes, qualiter numerum deputatum electorum in uniuerso mundo custodiat integrum creator uniuersorum per dilectissimum filium suum Ihesum Xpistum Dominum nostrum, per quem uocauit nos de tenebris ad lucem, de ignorantia ad scientiam gloriæ nominis sui, sperare in principale totius creaturæ nomen suum, aperiens oculos cordis nostri, ut cognosceremus te solum excelsum in excelsis, sanctum in sanctis requiescentem, qui humilias contumelias superborum, qui dissolues cogitationes gentium, qui facis humile in excelsis et humilias exaltatos, qui diuitem et pauperem facis, qui interficis et saluas et uiuificas, solus inuentor spirituum

1. *ornatus*] verbo ἐλλόγυμος responderet videtur, ut supra p. 41, l. 18.

2. *gentium*] (= " hominum ". Cf. Roensch, It. et Vulg. p. 329) om. Gr.

7. *postulauimus*] lege " postulabimus ".

8. *electorum*] " suorum " add. Gr.

9. *integrum*] " Deus " add. Syr.

10. *Dominum nostrum*] cum nostro add. Syrus ; Gr. vero omittit.

13. *sperare*] Verba " Da nobis, Domine " Bryennius et Lightfoot praenitenda esse censuerant, nulla mss. codicum auctoritate fulti.

suum] " tuum " Graecus, qui hinc iam transit ad orationem rectam. Fortasse ita quoque Latinus interpres: nam ex littera facilis lapsus est ad litteram

5. Syrus autem aliquandiu in oratione obliqua perseverat.

16. *contumelias*] Gr. ὑβρίς. Litterae s in fine perperam addenda ansam præbuisse videtur proxime sequens vocabulum, quod ab eadem littera incipit.

dissolues] = dissolvis.

17. *humile*] Gr. plurali numero ταπεινούς.

19. *et saluas et uiuificas*] In cod. Constantin. ultimum illud solummodo legitur καὶ ζῆν ποιοῦντα. Syriacus tamen fere cum Latino consentit : " redimit et vivificat ".

inuentor spirituum] Ergo εὑρετήν pariter cum Syro noster legebat interpres. Cod. Const. planiorem lectionem exhibet εὑρεγέτην.

et Dominus uniuersæ carnis; qui aspicis in abyssis, qui preuidis humana opera, qui periclitancium adiutor es et desperatorum saluator, omnis spiritus creator et uisitator; qui multiplicas gentes super terram, et ex omnibus
 5 elegisti diligentes te per Iesum Xpistum dilectissimum filium tuum, per quem corripiuisti nos, sanctificasti, honorasti. Oramus te, Domine, adiutor esto et protector noster: tribulantes salua, lapsos erige, deprecantibus appare, infirmos sana, errantes a populo tuo conuerte,
 10 satura esurientes, libera uinculatos nostros, suscita infirmantes, consolare pusillanimes; ut sciant omnes gentes quoniam tu es Deus solus, et Ihesus Xpistus filius tuus, et nos populus tuus et oves pascuae.

LX. Tu enim perpetuam mundi stabilitatem per
 15 opera manifestasti, tu ordinem orbis terræ creasti: fidelis

2. *preuidis*] in “preuides” 2 manu mutatum.

3. Vocem “saluator” post “spiritus” pererrorem iteravit scriba pro “creator”, Gr. κτιστης: quod mendum tollere non dubitavi.

7. *Oramus*] Syriac. praemittit “ et dicemus illi cum supplicatione”, quibus verbis demum transit ad orationem rectam.

10. *te*] om. Gr., quod tamen Hilgenfeld, Gebhardt aliisque addendum esse coniecerant.

adiutor] Gr. βοηθός. Codex male “auditor”.

8. *tribulantes*] Gr. plenius: “ eos nostrum qui in tribulatione sunt”.

salua] Gr. add. τοὺς ταπεινούς ἐλέησον, quae verba praetermisisse videtur non scriba, sed interpres, videlicet propter homoeoteleton τῶν... ἐλέησον: qua de causa apud Syrum quoque omittuntur.

9. *infirmos*] Recte igitur coniecerat Gebhardt legendum esse ἀσθενεῖς, non

ἀσθενεῖς, etsi alteram hanc lectionem exhibit codex Constant., quam quidem scite, ut solet, Lightfoot tueri conatus est.

10. *nostros*] cum sequentibus verbis puncto praefixo conjungit ms.

11. *sciant*] “te” add. ed. Lightf.

12. *filius tuus*] Syr.add. “dilectus”.

13. *pascuae*] “tuae” add. Gr., quae vox a latino codice ideo excidisse videatur, quia idem sonus iterum occurrit initio periodi sequentis: “Tu enim...”

14. *enim*] om. Gr., quod tamen in Syr. habetur.

15. *tu ordinem orbis terræ creasti*] Ab interprete scriptum esse reor, sicut in Gr. et Syr. “Tu domine orbem t. c.”, postea vero, confusis vocabulis “domine” et “ordinem”, sensum eodem fere modo depravatum esse ac supra actum est pag. 15, lin. 14 permixtis vocibus “sceptrum” et “scriptum”. Cf. etiam infra § 61 “Tu ordine (Domine) dirige...”

in omnibus generationibus, iustus in iudiciis, mirabilis in uirtute et magnificentia, sapiens in creando et prudens in eo ut quæ facta sunt stabilias, bonus in his quæ uidentur et suauis in eos qui confidunt in te, misericors miserator, dimitte nobis | f. 116^v | iniquitates et iniusticias et peccata et delicta. Noli imputare omne peccatum seruorum tuorum et ancillarum ; sed purifica nos purificatione tuæ ueritatis, et dirige gressus nostros in sanctitate cordis ingredi et facere bona et placita coram te et coram principes nostros. Ita, Domine, illumina uultum tuum super nos in bono cum pace; ut protegamus manu tua forti et eripiamus ab omni peccato brachio tuo excelso, et eripe nos ab odientibus nos iniuste. Da concordiam et pacem nobis et omnibus habitantibus super terram, sicut dedisti patribus nostris, inuocantibus illis te sancte in fide et ueritate, oboedientes factos omniapotenti et mirifico nomini tuo, principibus etiam et ducibus qui sunt super terram.

1. *mirabilis*] cod. "miserabilis". Cf. p. 46, l. 18.

3. *in his quæ uidentur*] Servanda est igitur, uti optime videt Lightfoot, codicis Const. lectio ὥρωμένοις, cui plerique Germanis editores alii alia substituere tentaverant.

4. *suavis*] Consentit Syr. "mitis" (=πόρχος?) In Graeco tamen habetur πιστός, et haec lectio magis cum scriptura concordat (cf. Deut. 7, 9. Ps. 144, 14), sed eo ipso suspecta est.

misericors] "et" add. codd. Const. et Syr.

5. *iniquitates*] "nostras" add. Gr.

7. *purifica*] Ita quoque Syrus, cuius lectio doctissimis viris Lightfoot et Funk probatur. Gr. οὐθαρεῖς.

8. *in sanctitate*] Inserit Syr. "et

in iustitia et in simplicitate", quae idem Lightfoot propter homoeoteleuton (ὅσιότητι... ἀπλότητι) omissa in Graeco esse existimat.

9. *coram principes nostros*] De praepositione "coram" cum accusativo cf. Roensch, It. et Vulg. p. 409.

15. *sancte* (=ὅσιώς) om. Const., et codex Syriacus, in quo legitur, non tanta auctoritate apud Lightfoot gaudebat, ut istud adverbium in textum certo inserendum esset. Iam vero de hac redubium vix alicui esse potest.

17. *principibus etiam* etc.] Confirmat codex noster clarissimi Lightfoot sententiam, qui primus haec verba cum praecedentibus coniungenda esse perspexit.

LXI. Tu, Domine, dedisti potestatem regni per magnificum et inenarrabile imperium tuum, ut cognito datam nobis a te gloriam et honorem subditi sint, nihil resistentes uoluntati tuæ: quibus das nobis salutem et pacem et concordiam, tranquillitatem, ut agant quod a te illis datum est regnum sine offensione. Tu enim, dominator cælorum, rex seculorum, das filiis hominum gloriam et honorem et potestatem eorum quæ sunt super terram: tu, Domine, dirige consilium eorum iuxta te bonum et placitum coram te, ut agentes cum pace et mansuetudine pie possideant quæ a te illis data est potestas, propicio illis, qui solus potes facere et hæc et plura bona nobiscum: tibi confitemur per pontificem et antistitem animarum nostrarum Ihesum Xpistum, per quem est tibi gloria, magnificantia et nunc in secula seculorum. Amen.

LXII. De his ergo quæ pertinent ad religionem nostram, et quæ utilia sunt his qui perpetuam uitam

1. *regni*] “eis” add. Gr.

2. *ut*] scripsi; codex perperam “et”.

Ceterum longe aliter Graecus prosequitur: “ut cognoscentes nos datam a te illis gloriam et honorem subiecti simus eis”, etc.

4. *quibus das nobis*] Manifestus error ex Graeco ita corrigendus: “quibus da, Domine”.

6. *dominator cælorum*] Verbum ἐπουράνιος Lightfoot quoque coniungit cum δέσποτα, Funk vero cum βασιλεύς.

8. *quæ*] ex “qui” antiqua manu emendatum.

tu, Domine] Codex “tu ordine” eodem errore ac supra p. 55, l. 15; quem hic saltem, quia facilius erat, omnino castigandum esse censui. Gr. τύ, κύριε.

9. *te*] post “iuxta” etsi redundare videtur, tamen expungere nolui.

10. *ut agentes*] Codex “ut et gentes”. Gr. ὅπως διέποντες. Idem verbum paulo

ante lin. 5 verbo latino “agere” redditum interpres: quare de mendo tollendo dubius diu esse non potui.

possideant quæ a te etc.] Male hic coniunguntur verba τὴν... ἐξουσίαν cum τυγχάνωσιν, quandoquidem pendent ex διέποντες; male τὸν σου veluti genitus absolutus accipitur, cum sit voci τυγχάνωσιν iungendus.

11. *propicio*] subaudi “te”.

illis] om. Gr.

12. *nobiscum*] Codex “nobis cum”.

14. *gloria*] “et” add. Gr.

15. *nunc*] “et in generationem (al. generationes) generationum et” add. Gr. et Syr.

17. *perpetuam*] Gr. “probam” (ἐνάρετον), pro quo ἀέναι fortasse legebat noster: utpote qui idem vocabulum graecum supra p. 55, l. 14 latine verterit “perpetuam”. Confer tamen adnot. critic. ad p. 41, l. 15.

uolunt pie et iuste incedere, sufficienter scripsimus uobis, uiri fratres. Nam de fide et penitentia et sobrietate et pacientia omnem locum tractauimus, commemorantes debere uos cum iusticia et ueritate et longanimitate omnipotenti Deo sancte placere, concordes cum dilectione et pace, cum instantia et tranquillitate, sicut et supra memorati patres nostri placuerunt humiliantes se ad patrem et creatorem Deum et omnes homines. Et hæc tanto libenter admonuimus, quoniam pro certo sciebamus scribere uobis uiris fidelibus et probatis et oboedientibus eloquiis doctrinæ Dei.

LXIII. Oportet ergo talibus et tantis exemplis accedere uos, et subicere collum et oboedientiæ locum complere, ut cessantes a uana seditione ad propositum | fol. 117 | nobis cum ueritate exemplum sine aliqua macula occurramus. Gaudium enim et exultationem nobis prestabis, si oboedientes fueritis his quæ a nobis scripta sunt per Spiritum sanctum, si abscidatis inlicite emulationis uestræ iracundiam, secundum denuntiationem quam fecimus de pace et concordia in epistola hac. Misimus autem uiros fideles et sobrios, qui a iuuentute usque ad senectam sine querela conuersati sunt inter nos, qui etiam testes erunt inter nos. Hoc autem fecimus,

2. et *penitentia*] Gr. et Syr. add. “et sincera caritate et continentia”, quae vel a scriptore hujus codicis sunt praetermissa vel ab ipso interprete: nam in graeco aequa ut in latino homoeoteleton invenitur (*μετανοίας... ἐγκρατείας*, pænitentia... continentia).

5. *placere*] Ita quoque Syr. cuius lectio ab omnibus iam recepta erat. Gr. *εὐχαριστεῖν*. Cf. supra p. 39, l. 4.

10. *uobis*] Gr. “nos”.

12. *accedere*] Gr. “accidentes”.

13. *uos*] in “nos” mutandum esse facile conicias.

complere] Ita codex Constant. ἀναπληρῶσαι; Syriacus vero “implentes”, qui etiam solus add. “inclinemur illis qui sunt duces animarum nostrarum”.

18. *inlicitam*] G. “inlicitam”.

21. *autem*] “etiam” add. solus Syr.

23. *etiam*] om. solus Gr.

inter nos] Gr. et Syr. “inter vos et nos”.

ut sciatis quia omnis nobis cura semper et fuit et est,
ut quam celerius habeatis pacem.

LXIV. De cetero qui omnia prospicit Deus et dominatur spirituum et Dominus universæ carnis, qui elegit 5 Dominum Ihesum Xpistum et nos per ipsum in populum æternalem, det omni animæ inuocanti magnificum et sanctum nomen suum fidem, timorem, pacem, patientiam et longanimitatem, continentiam, castitatem, sobrietatem, ut placeat nomini eius per pontificem et anti- 10 stitem nostrum Ihesum Xpistum: per quem est ei gloria, magnificantia, imperium et honor, et nunc et in secula seculorum. Amen.

LXV. Quos autem misimus ex nobis, Claudium Ephebum et Ualerium Bitonem una cum Fortunato cum 15 pace et gaudio confestim remittite ad nos, ut uelocius optabilem et desiderabilem nobis pacem et unitatem nuntient, ut et nos citius gaudeamus de uestra tranquillitate.

Gratia Domini nostri Ihesu Xpisti uobiscum, et cum 20 omnibus ubique qui uocati sunt a Deo per ipsum: cum

1. *semper*] deest in Gr. et Syr.

3. *De cetero*] Reliqua deinceps etiam in codice Alexandrino leguntur.

qui] scripsi. Codex: "quia omnia". Graec. ὡς παντεπόπτης.

dominatur] = "dominator"; Gr. δεσπότης.

6. *æternalem*] Gr. περιούσιον = peculiarem. Quid legerit interpres, incertum; verum S. Hieronymus in Epist. ad Tit. II, 14 verbum περιούσιον haud uno modo ab interpretibus acceptum esse animadvertisit. Et in opere hactenus latent, quod brevi me spero editurum: « Verbo περιούσιον, inquit, id est substantiali, exceptis sanctis scripturis, nullus foris disertorum est usus; et prop-

terea obscurus redditur sensus, quia verbum, per quod sensus intellegitur, novitas occultum facit."

8. *et*] cum nostro add. Constant. et Syr., om. Alexandr.

10. *ei*] scripsi. Gr. αὐτῷ. Codex "et", male confusis litteris *i* et *t*.

gloria] "et" add. Alexandr. solus, qui e contrario eandem coniunctionem omittit post "imperium".

11. *et in*] "omnia" add. Alex. et Const.

20. *a Deo*] "et" add. Alex. et Syr.

cum quo] Reliqui codices "per quem". Contrarium occurrit supra p. 22, l. 10.

quo est ei gloria et honor et uirtus et magnificentia,
sedis aeterna, a seculis et nunc et in secula seculorum.
Amen. EPISTOLA CLEMENTIS AD CORINTHIOS EXPLICIT.

1. Coniunctio “et” ubique in Gr. *aeterna*] 2 manus in genetivum mu-
omittitur. tavit. Gr. θρόνος αἰώνιος.
2. *sedis*] = sedes. *et nunc et*] om. Gr.

INDICES

I. INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRAE.

*Ea tantum loca indicavi, in quibus S. Scriptura disertis
verbis allegatur.*

Geneseos.

- I 26, 27, 28 . . 31, 19 sq.
II 23 7, 15
IV 3-8 5, 6
XII 1-3 10, 17
XIII 14-16 10, 24
XV 5-6 11, 4
XVIII 27 18, 2
XXII 17 30, 15

Exodi.

- II 14 6, 3
III 11 18, 10
IV 10 18, 11
XXXII 7-10, 32. . . 49, 4 sq.

Numerorum.

- XII 7 . . 18, 6; 40, 10

Deuteronomii.

- IV 34 29, 1
IX 12-14 49, 4 sq.
XXXII 8, 9 28, 15
14, 15 4, 10

1 Regum.

- II 10 13, 7
XIII 14 18, 16

Iob.

- I 1 18, 2
IV 16-18 . . . 37, 12-17
IV 19-V 5 . . . 37, 17 sq.
V 17-26 . . . 51, 17 sq.

- XI 2, 3 29, 13 sq.
XIV 4, 5 18, 5
XV 15 37, 17
XIX 26 27, 4
XXXVIII 11 21, 9

Psalmorum.

- II 7, 8 35, 9
III 6 27, 2
XI 4-6 15, 8
XVII 26, 27 43, 14
XVIII 2-4 27, 15
XXI 7-9 17, 9
XXIII 1 50, 4
XXX 19 15, 8
XXI 1, 2 47, 10
10 24, 9
XXXIII 12-18, 20 . . . 24, 1
XXXVI 35-37 14, 15
XLIX 14, 15 48, 17
16-23 34, 4 sq.
L 3-19 18, 18 sq.
LXI 5 15, 4
LXVIII 31-33 48, 15
LXXXVIII 21 18, 17
CIII 4 35, 7
CIX 1 35, 12
CXVII 18 51, 12
19, 20 45, 10
CXXXVIII 7-10. . . . 28, 6
CXL 5 51, 14

Proverbiorum.

- I 23-33 52, 19 sq.
III 13 51, 13
XX 27 22, 15

Isaiae.	Danielis.
I 16-20 . . . 9, 7 sq.	VII 10 . . . 32, 19
VI 3 32, 20	Malachiae.
XXVI 20 47, 5	III 1 25, 6
XXIX 13 15, 3	Matthaei.
XL 10 32, 12	VII 1, 2 13, 12 sq.
LIII 1-12 16, 4	XVIII 6, 7 44, 2 sq.
LX 17 40, 7	XXVI 24 ibid.
LXII 11 32, 12	Lucae.
LXIV 4 33, 2	VI 36-38 13, 12 sq.
LXVI 2 14, 1	XVII 1, 2 44, 2 sq.
Jeremiae.	
IX 23, 24 13, 6	
Ezechieliis.	
XXXIII 11 8, 17	

II. ORTHOGRAPHICA, LEXICA ET GRAMMATICA.

- a *omissa* : Isac 30, 4 n.
male inserta : uideamus (= *uide-*
mus) 42, 7 ; omniapotenti 56, 16.
pro un : facto (= *functo*) mini-
 stero 42, 8.
- ab *praepositio* : errantes a populo
 tuo (= *populi tui*) 55, 9.
- ablativus pro accusativo* (*vel m fin.*
omissa, vel o pro um) *post praepo-*
sitiones :
- in : intueamur in sanguine
 Xpisti 8, 5 ; respice in caelo 11, 5 ;
 intueamur in patre et creatore
 20, 10 ; intueamur ... in voluntate
 pacientiae illius 20, 13 ; portat
 illam ... usque in Aegiptum in
 colonia 26, 11 ; si ascendam in
 caelo 28, 7 ; si descendero in
 abyssu ib. 9 ; refloruit in luce
 35, 4 ; missus est in lacu 43, 1 ;
 missi sunt in fornace 43, 3 ; pre-
 cipitari in mari 44, 5 ; multos in
 contumacia, omnes autem nos in
 tristicia perduxit 44, 7 ; iusti in-
 trabunt in ea 45, 12 ; in qua
 beati omnes qui intrauerunt ib.
 13 ; mersi sunt in rubro mare 48,
 10 ; tradiderunt se in morte 50, 9 ;
 uenies a. in sepultura 52, 6.
- per : per spiritu sancto cognoscisti 42, 12.
- abundare *cum accus.* : os tuum abundauit maliciam 34, 8.
- acceptabilis 8, 4.
- acceptio : sine personarum enim
 acceptance 2, 9.
- accusativus absolutus* : da concordiam
 et pacem nobis ... oboe-

- dientes factos omniapotenti 56, 16.
- accusativus pro nominativo*: eundem certamen nobis imminet 8, I; multos se ipsos tradentes ... alios cibauerunt 50, 13.
- accusativus post praepositiones requirentes ablativum, nisi nonnulla exempla per m parasiticam aut um pro o explicanda sunt*:
- in : cum essent in campum 5, 16 ; optulit uictimam in montem II, 10 ; prophetia fuit in mulierem 13, 3 ; remanebunt in eam 14, 13 ; in sanctitatem cordis 31, 2 ; assumis testamentum meum in os tuum 34, 5 ; posuit in tabernaculum 40, 18 ; non tantum in nobis capuit, sed et in alienigenas 45, 3 ; altitudo in qua perducit karitas 46, 7 ; usque in hac die 47, 2.
 - cum : cum confidentiam 30, 4.
 - accusativus post verba* : consistere, tremere, abundare, obaudire, inscribi, excidere et deficere, incedere.
 - ad *praepositio* : aestimatum est illi ad iusticiam II, 8.
 - adferre = *ferre* : magisque sui querelam adferunt 48, 2 ; *indicat*. *praesens* adferet 25, 17.
 - adicere : adiecerunt monstrare ei 12, 19.
 - adinuentio 29, 6.
 - adiuuare *cum dativo* : non possent sibi adiuuare 37, 20.
 - adleta = *athleta* 6, 13.
 - ae *pro a ante et* : pro semetipso et Cefae et Apollo 44, 11.
 - pro as* : purae (*puras*) et intaminatas manus 28, 13.
 - pro e* : aeclesia 1, 4 ; 41, 19 ; 45, 1 ; praeces 24, 6 etc.
 - pro i* : quae (= qui) 24, 18 ; innocuae (= *innocui*) 47, 1.
 - aeternalis : in populum aeternalem 59, 6.
 - affricus : ad aquilonem et affricum II, I.
 - alienigena = *alienus* : sed et in alienigenas qui sunt a nobis 45, 3.
 - alienus cum dat.* : quamuis erant alieni Deo 8, 14.
 - cum gen.* : aliena et extera electorum Dei I, II.
 - alimenta Xpisti 3, 9.
 - alius, *dativ.* alio : aliud alio opus est 36, 5.
 - altarium : iuxta altarium 39, 9.
 - ambulare : in legitimis Dei ambulabatis 2, 10 ; ambulare uoluerunt non digne Xpisto 5, 1 ; ut in eis (praeceptis) ambulantes 13, 18.
 - amor *sequente ad cum gerundio* : insatiabilis amor ad benefacendum 3, 13.
 - antistes : per pontificem et antistitem animarum nostrarum 57, 13 ; 59, 9.
 - apparere : legibus e. patrifamiliae apparentes 38, 18.
 - appropriare 26, 3.
 - ascensor 48, 9.
 - aspargere 19, 10.
 - assumere *in os* 34, 5.
 - audientur = *audiuntur* 28, 1.
 - auditio = *rumor* : haec auditio non tantum in nobis capuit 45, 2.
 - autumninus : tempora uerina ... et autumnina 21, 12 sq.
 - ἀμωμος = inmaculatus 35, 1 ; eminenſ ? ib. 16.

 - b *pro u* : labia me ab iniusticia 19, 3 n ; sine imbidia 41, 20.
 - baptizare 40, 3.
 - beatificare 2, 9.
 - benedicere : benedic te 10, 19.
 - blasphemiam inferri 45, 4.
 - brauium : patientiae brauium 6, 21.
 - βάγαντος = inuidus 46, 9.

 - c *pro g* : cesserunt (= gesserunt) 43, 4.

pro t saepissime : tristicia 44, 8;
 stulticia 45, 5 ; propicius 45, 8 ;
 iusticia 45, 9 etc.
 caliginari : et in fide illius caligina-
 batur 4, 17.
 capesso, *perfect.* capui : haec auditio
 non tantum in nobis capuit 45, 3.
 carpere = *discerpere* : deducimus et
 carpimus membra Xpisti 43, 20.
 casuum mutatio : per nostram sa-
 pientiam ... aut operum 31, 2; of-
 fertur pro pontifice et illorum
 predictorum ministrorum 39, 10 ;
 non tantum in nobis capuit sed et
 in alienigenas 45, 3 ; per ieunia
 enim et humilitate sua 50, 22.
 certari *depon.* : usque ad mortem
 certatae sunt 6, 16 ; certemur in-
 ueniri 33, 11.
 ceruicosus 49, 9.
 ceterus : de cetero 59, 3.
 cibare. *aliquem* : precio suo alias ci-
 bauerunt 50, 14.
 circumtinere 31, 13.
 colonia 26, 11.
 commemorare *cum proposit. infin.* :
 commemorantes debere uos ...
 sancte placere 58, 3.
 commode = *commodum* : quod
 commode et utile est 46, 2.
 compositus : quae eorum esset hoc
 mirifico nomine composita 40, 15.
 confidere : confidentes supra san-
 ctum iusticiae nomen eius 53, 17.
 confirmari *ad aliquem* 33, 13.
 confiteri *absolute* : confiteri propter
 peccata et delicta 48, 3.
 confortare 50, 14.
 coniunctivus *pro indicativo* : 39, 1.
 considerare quia *cum indicat.* 8, 8.
 consistere *cum accus.* : aeclesiae Dei
 consistenti Chorinthum 1, 4.
 constitutor 31, 10.
 constructiones irregulares :
 ut et passiones illius ante oculos
 uestros fuerint 3, 11 ; et negabat
 omnia mandata eius, ambulare
 uoluerunt non digne Xpisto 5, 1 ;

cum enim missi sunt ... et rescis-
 set rex 12, 1 ; magis hominibus
 offendamus ... quam Deum aut
 Dominum 22, 19 ; melius erat illi
 circumdari molam collo eius et
 precipitari in mari, quam unum
 de electis meis peruerteret 44, 4 ;
 non tantum in nobis capuit, sed
 et in alienigenas qui sunt a nobis
 45, 3 ; melius est e. uos ... claros
 inueniri, quam ... proiciamini 52,
 16 ; ut cognito datam nobis a te
 gloriam 57, 2.
 consummare : omnia in timore Dei
 consummatis 4, 6 ; consummata
 est scriptura 4, 9.
 consummate : qui consummate mi-
 nistrarunt 10, 5.
 consummatio : consummationis eius
 non est enarratio 46, 19.
 contendere
 ad aliquem : contendimus ad
 corpus nostrum 43, 21.
 alicui = *pro aliquo* : conten-
 distis enim apostolis 44, 13.
 contrarius = *aduersarius* : propter
 quasdam incursions contrarii 47,
 17.
 contrastare : qui contrastabit for-
 titudini uirtutis eius 27, 11.
 contrastari *supra aliquid* : suscipia-
 mus doctrinam supra quam nemo
 debet contrastari 51, 9.
 conuersari : his uiris sancte conuer-
 santibus 7, 7 ; digne illo conuer-
 semur 22, 13 etc.
 copula *omissa* 37, 7 ; 56, 4 ; 57,
 15.
 coram *praep. cum accus.* : placita
 coram te et coram principes nos-
 tros 56, 9.
 creatura 28, 5 ; 54, 13.
 cum : ut salui essetis cum miseri-
 cordia et cum bona conscientia
 3, 19 ; intrauerunt cum eo cum
 concordia 10, 10 ; commouentia
 se cum pace 20, 16 ; cum pace
 decedunt 22, 1, etc.

cumscientia = *conscientia* 4, I n.
 cumtribulis: audiuit a cumtribule
 suo 6, 3.
 $\chi\lambda\alpha\beta\beta\zeta\epsilon\nu$ = praecipitare 38, 5.

d pro r: deducat (= *reducat*)
 45, 9.
 pro t: 45, 2 n; 46, 13 n.

Danaides 7, 10 n.

dativus pro ablativo: prouidentiae
 suae suscitat illud 25, 16; magni-
 fice enim uirtuti suae caelos in-
 stituit 31, 11.

dativus post verba: iudicare, exse-
 qui, uenire, latere, offendere, ad-
 iuuare.

de *praepositio*: et conuertitis uos ad
 me de toto animo 9, 5; saluus
 factus est de Sodomis 11, 13;
 non credentes de uirtute Dei 11,
 20; signum quod suspenderet de
 domo sua 12, 19.

declinatio mutata:

iusto et sinc querela propositu
 (= *proposito*) 43, 6; monitionis
 (= *monitionibus*?) acceptis 50, 9.

deducere = *divellere*: quare dedu-
 cimus et carpimus membra Xpisti
 43, 20.

deficere *cum accus.*: quaccumque e.
 excidimus et deficimus 47, 16.

deponens sensu verbi passivi:
 remetiri: in eadem uobis reme-
 tietur 13, 17.

auersari: auersata est facies
 eius 16, 10.

dignari: plurimae dignati su-
 mus scientiae 39, 13.

confiteri: nihil illi cuiusquam
 opus est, nisi ut confiteatur illi
 48, 14.

detractio 29, 5. 12, etc.

detrahere *de aliquo*: hic de se de-
 traxit dicens 18, 5.

dieta = *habitatio*: dieta autem ta-
 bernaculi tui 52, 4.

dignari *sensu passivo cum genet.*:

quanto plurimae dignati sumus
 scientiae 39, 13.

dignum amoris nomen 2, 2.
dilectio: propter dilectionem pa-
 triae 50, 18.

Dircae 7, 10 n.

dirigere *cum infin.*: dirige gressus
 nostros in sanctitate cordis in-
 gredi 56, 8.

docere, *fut.* doceam 19, 18; 52, 19.

dolum = *dolus*: nec est in ore eius
 dolum 47, 13 n.

dominari *cum gen.*: et tu domina-
 beris eius 5, 14.

dormitio 25, 12.

ducere se in uiam 12, 9.

$\delta\sigma\pi\acute{o}\tau\eta\varsigma$ = paterfamilias 38, 11.
 18.

e *parasitica*: ut eliberarent 50, 9.

pro ae: hereamus 29, 9; peni-
 tentia 50, 5 etc.

pro i: melotes (= *melotis*) 17,
 18; consedet (= *considet*) 26, 12;
 incepere (= *incipere*) 40, 1; con-
 sentiente aecclesia omne 41, 19;
 dissolues (= *dissoluis*) 54, 16.

electi: turbae electorum 7, 8; electi
 Dei 1, 12; 4, 1; 46, 12.

eligere *cum infin.*: hanc elegit Deus
 in pontificatum deseruire illi 41, 3.
 episcopatus 41, 14; 42, 4; episco-
 patus regni Xpisti 47, 5.

episcopi et ministri 40, 4. 6. 7.

eradicare: magnas gentes eradicavit
 7, 16.

eructuare 27, 16,

erudire ad paenitentiam 52, 13.

esse *cum infin.*: cum ergo erit uobis
 sumere illam 12, 14.

et

pro a ante g: ut et gentes (=
 ut agentes) 57, 10.

pro at: ut disperd& de terra
 24, 7.

pro it in *coniugatione*: tribuet
 24, 14; tradet 38, 3 etc.

et, ent *pro* it, unt : crescent 31, 15 ; accipiet 32, 8, etc.
 euangelium : uobis in principio euangelii scripsit 44, 10.
 euuangelizare 39, 15 ; 40, 1 ; *cum infinitivo* : exierunt euuangelizare regnum Dei incepere uenire 40, 1.
 ex : tamquam ex uno ore uocifermur 32, 23 ; quos a. misimus ex nobis (= *a nobis*) 59, 13.
 exaltare : uolentes exaltari cordibus suis 37, 10.
 excidere *cum accus.* : quaecumque e. excidimus et deficimus 47, 16.
 exequi : exequamur uoluntatibus hominum 14, 8.
 exire, *fut.* exient 29, 2 ; *cum infinitivo* : exierunt euuangelizare regnum Dei incepere uenire 39, 20.
 exornatus : exornatum et sanctum doctrinae exemplum 8, 2.
 expectare = *spectare* 47, 19.
 exter *cum gen.* : extera electorum Dei 1, 12.
 ἐπινομή = *lex* 41, 16.

facere : faciam te in gentem magnam 10, 19 ; 49, 11 ; fecit quadraginta dies... in ieiunio 49, 3 ; correptio quam facimus in inuicem 51, 10 ; *fut. passiv.* facietur ? 13, 14, n.
 fastidiare : fastidiata est et spreta 16, 11.
 fastidiosus : nihil inuidum in kari- tate, nihil fastidiosum 46, 10.
 fauorabilis : non fauorabiles in quo- dam 23, 6.
 fenicum : si fuerint peccata uestra sicut fenicum 9, 13.
 fiducialiter agere *ad aliquem* 49, 15.
 foris *pro* foras : Eduxit a. Deus Abra- ham foris 11, 4.
 formula pacis 20, 10.
 fraternitas : pro omni fraternitate 3,

18 ; quietum habundantis frater- nitatis uestrae 44, 16 ; innocuam fraternitatis et castam disciplinam 45, 8.

fructiferare : terra fructiferans se- cundum uoluntatem 21, 1.
 functus *particip.* *sensu passivo* : ex illo sine querela illis functo mini- stero 42, 8.

g *proc* : ingrassauit se 4, 10.
geminatio consonantium male ad- missa : querella 18, 3 ; ut ille (= *utile*) 46, 2 n.

male omissa : aeclesia i, 4 etc.; stelarum chorus 20, 18; excelen- tes 52, 17 ; oportune 38, 15.
genetivus absolutus : contendentium tribuum quae eorum esset 40, 14 ; multarum igitur portarum paten- tium 45, 12.

genetivus postadiectiva : alienus et exter, dignus, principalis.

post comparativum : maior an- gelorum 35, 6.

post verba : dominari, gustare, obaudire, timere.

pro ablativo : congregati con- scientiae 32, 23.

genetiv. plur. um pro orum : inferum inenarrabilia iudicia 21, 5 ; membra sumus alterum 44, 1.

genus mutatum (nonnulla exempla per m parasiticam explicari posse videntur) :

paucae personae... incensi sunt 1, 13 ; hospitalem instar uestrum 2, 7 ; eundem certamen nobis im- minet 8, 1 ; interitum animae nostrae grande 14, 7 ; caeli... commouentia se 20, 16 ; precel- lentem hereditauit nomen 35, 6 ; quam magnum et mirabile est karitas 46, 18.

gentes *masc.* = homines : deputa- tus in numero saluatorum gen- tium 54, 1.

gloriosus : non gloriōsi supra gloriōsos 4, 14.
gustare scientiae 35, 5.

h *addita*: Chorinthum 1, 5; Loth 10, 23; Habrae 17, 20; perhennes 22, 3; habundans 44, 16; 49, 19.

h *omissa*:

Corintios 1, 3; ysopo 19, 10; exibebo 34, 12; ora (=hora) 52, 8. habere: David habuit inuidiam non a fratribus tantum 6, 9; persecutionem habuerunt 6, 15.

harena 11, 3.

hebraicae locutiones quae sunt interpretis propriae: uerbo sanctitatis illius 13, 19; in uoluntate pacientiae illius 20, 13.

hereditare 35, 7.

honoratus: uulgares contra honoratos 4, 14; honoratae uoluntati illius 9, 21.

honorificare 41, 9.

humiliare: omnes enim vos humiliabatis 3, 7; humiliemus nos deprecationi 10, 1; humiliantes se ad patrem 58, 7.

humiliatio 23, 9.

i *pro ae*: qui (=quae) 42, 10; 57, 8 n.

pro e: fit pinnatus in auem 26, 8; zelo incidenti (=incidente) 40, 14; deficimus (=defecimus) 47, 16; depascit (=depascet) 48, 7; adquirit (=adquiret) 50, 3; preuidis (=praeuides) 55, 2; sedis aeterna 60, 1.

pro s: impudent ei (=impudentes) 20, 18 n; accipient ei (=accipientes) 41, 14.

pro y; Ægypti 6, 2; zelotipi 42, 10; presbiteris 50, 2 etc.

ibi *pro illuc*: ibi intrat 26, 6.

ille *vice articuli*: 39, 10; 41, 15. 17; 42, 8; 43, 2.

immolatio : de fructibus terrae immolationem Domino 5, 7.

in *praepos.*:

uocatis sanctis in uoluntate Dei 1, 5; quietam in Xpisto pietatem 2, 5; in legitimis Dei ambulabatis 2, 10; ut in regula obauditionis essent constitutae 3, 5; nihil in superbia facientes 3, 7; parati in omni opere bono 4, 5; omnia in timore Dei consummasti 4, 6; in fide illius caliginabatur 4, 17; nati nostri doceantur in Xpisto 23, 8; in operibus nostris ornati 32, 3; sicut est in gratia sua 36, 13; indigna in Xpisto disciplina 44, 17; tradiderunt se in morte 50, 9.

fit pinnatus in auem 26, 8; debemus in omnia gratias agere illi 37, 6.

incedere *cum accus.*: qui perpetuam uitam uolunt pie et iuste incedere 58, 1.

inceptio: resurrectionem, cuius inceptionem fecit dominum Ihesum 25, 10.

incidere, *indicat praes.* incident 33, 8. increpatio 53, 1, 10.

indicativum pro coniunctivo: in tantum temeritatis ut... ualde est lesum 1, 13; ut discant quid potest humiliatio 23, 9; consideremus... quomodo palam facit 25, 8; consideremus quomodo... deserviunt 32, 17; consideremus... quam mansuete obaudiunt 35, 16; cogitemus de qua materia sumus 37, 1; uidete fr. quam magnum et mirabile est karitas 46, 18; uidete k. quanta protectio est 52, 9.

indisciplinatus 37, 9.

inequi (=equites?): nec decuriones nec de inequis ceteri 36, 2.

inexscrutabilis 21, 5.

inferre: contumacia illa peccatum uobis intulit 44, 13; blasphemiam inferri 45, 4.

infinitivus post coniunctionem ut : in tantum contenderunt furoris ut... immittere 43, 5 ; ita ut blasphemiam inferri... uobis que periculum immittere 45, 4.

post verba : esse, adicere, uenire, certari, euangelizare, exire, eligere, rogare, uocare, dirigere.

post adiectivum : potens.

infirmor depon. : suscita infirmantes 55, 10.

ingrassare (= *incrassare*) : et ingras- sauit se 4, 10.

ingredi : quisque ingreditur secundum uoluntatem cordis sui 5, 2 ; in sanctitate cordis ingredi 56, 9.

inhumilitas 34, 1.

initiatio : initiationem areae 29, 2.

initiator : inmundi zeli initiatoribus obsequi 14, 6.

includere, indicat praes. inludent 37, 10.

innocens cum a et ablat. : innocentes erimus ab hoc peccato 54, 6.

inpinguare 51, 16.

inpinguis : alta pax et inpinguis 3, 12.

inridere, indicat praes. inridunt 37, 10.

inscribi cum accus. : uirgas inscriptas uniuscuiusque tribus nomen 40, 16.

insensatus 24, 20.

instantia : uictimae instantiarum 39, 6; cum instantia et tranquillitate 58, 6.

instar (= *mores* ?) : hospitalem instar vestrum 2, 7.

insufflare aliquem 37, 21.

intaminatus 28, 13.

intellegere = *sentire* : iuuenibus modica et sancta intellegere permittentis 3, 2 ; intelligite quia 5, 17.

interdie 26, 12.

inuenire, indicat praes. inuenient 26, 15.

inueniri : iustus inuentus 10, 7 ; fidelis inuentus ib. 8. 12 ; inueniri

in numero sustinentium 33, 11 ; qui potest in ea (*karitate*) inueniri 46, 20. 21 ; minimos et claros inueniri 52, 16.

inuentor : solus inuentor spirituum 54, 19.

inuidiam habere (= *invidiae esse*) : Dauid habuit inuidiam non a fratribus tantum 6, 9.

is pro es : magnitudinis (*magnitudines*) 30, 10.

is loco adiectivi possess. : aduersus pueros eius non credit, aduersus autem angelos suos 37, 15.

omittitur ante pronomen relativum : 40, 5. 13 ; 43, 8.

it pro et : dicit (*dicit*) 27, 11.

iubere cum dativo personae : mulieribus innocentibus casta conscientia omnia facere iubebatis 3, 3.

iudicare cum dat. : iudicate pupillo 9, 11.

iudicium : inferum inenarrabilia iudicia 21, 5.

iustificare : iustificate uiduam 9, 11 ; operibus iustis iustificemur 29, 13.

iustitiae = *leges* : iusticiae Dei in latitudine cordis uestri inscribantur 4, 7 ; faciendo aequitates et iusticias eius 13, 9.

ἰδάλλεσθαι = diffidere 24, 15.

k pro c : karissimi 1, 11 ; 47, 8 etc. karitas 46, 7 sqq.

lapidare 6, 22 ; 42, 15.

latere cum dativo : nihil illi latet 22, 17 ; *cum accus.* nihil latet uoluntatem eius 27, 14.

latitudo cordis : 4, 7.

legitima, orum : in legitimis Dei ambulabatis 2, 10.

leuita 39, 1.

locus : de fide... et pacientia omnem locum tractauimus 58, 3 ; oboedientiae locum complere 58, 13.

longanimitas 58, 4 ; 59, 8.
 $\lambda\kappa\kappa\omega\zeta$ = plebeius *et laicus* : plebeius
 homo laicis praeceptis datus est
 39, 2.

m *parasitica* : 2, 7 ; 9, 14 ; 13, 3 ;
 15, 12 ; 49, 7.
omissa (*cf. ablativus*) : 43, 2 n.

m *pron* : Labam 30, 7.
magnificens, entis? 9, 21 ; *nisi hoc
 loco legendum est magnificae*.
magniloquius? lingua magniloquia
 15, 8 ; (*librarii error esse videtur
 pro magniloqua*).
maletractatio : propter maletracta-
 tionem non aperuit os 16, 18.
melote : in pellibus caprinis et me-
 lotes 17, 18.
memorari depon. : memorabor diei
 boni 47, 7.
militare alicui : consideremus mili-
 tantes principibus 35, 16.
ministratio 22, 2.
misereri cum dativo : misereamur
 nobis 14, 10 ; miserere mihi 18,
 18.
mixtura 36, 5.
moechia 29, 7.
monumentum (= *sepulcrum*) 37, 3.
municipium : secundum municipia...
 predicatorum 40, 2 ; *municipium
 religiosorum* 47, 4.
 $\mu\omega\mu\sigma\kappa\omega\pi\epsilon\nu$ = prolatione expiare
 39, 9.

n *pro m* : menbra 43, 21.
nam pro sed : 5, 9 ; 14, 14 ; 15, 6 ; 24,
 10 ; 29, 9. 20.
nominativus pro in cum ablativo :
 cognosces quoniam pax est domus
 tua 52, 3.
*non pro ne cum coniunctivo in enun-
 tiatis iussivis* : 24, 15.
pro in privativo : non gloriosi
 contra gloriosos 4, 14 ; ambulare
 non digne Xpisto 5, 1.
numerus singularis cum plurali :

data est ei sceptra duodecim 30,
 7 ; contumaciae, scissurae et proe-
 lium est in uobis 43, 17 ; nunc
 uide, inspicite 44, 15.
nuntius : si quem sanctorum nun-
 tiorum uideas 38, 1.

o *pro e* : 51, 22 n.
pro u : non potet (*putet*) 29, 15.
o interiectio cum genetivo : o magnae
 karitatis, o perfectae sinceritatis
 49, 15.
oboediens 56, 16 ; 58, 11 *etc.*
obaudiens : obaudiens fuit uerbis
 Dei 10, 13.
obaudientia : propter obaudientiam
 Dei 10, 13 ; 20, 5 ; propter obau-
 dientiam Deo 11, 10.
obaudire cum dat. : 2, 10 ; 9, 17.
 21 ; 13, 19 *et alibi saepissime*.
cum genetivo : si quis tui obau-
 diat 38, 1.
cum accusat. : obaudiat quisque
 proximum suum 36, 12.
obauditio : in regula obauditionis
 3, 5 ; propter obauditionem Deo
 10, 6.
odibilis : odibiles sunt a Deo 34, 2.
odiens : eripe nos ab odientibus nos
 56, 13.
offendere : magis hominibus...offen-
 damus quam Deum 22, 19.
omniapotens 56, 16.
omnis : sine omni praeuaricatione
 20, 20 ; cum omni perseuerantia
 35, 15 ; omnis malitia pleni 43,
 5 ; noli imputare omne peccatum
 56, 6. *ablativ.* omne 41, 19.
opus est cum gen. : nihil illi cuius-
 quam opus est 48, 14.
ornatus : magna et ornata cum per-
 ceperimus 20, 9 ; a quibusdam
 uiris ornatis 41, 18 ; hic ornatus
 erit 54, 1.
ossum = os, ossis : 7, 15 ? n.
ostendere : Paulus patientiae bra-
 uium ostendit 6, 21.

p addita : dampnauit 18, 7; dampnationem 22, 13.
pacifcus cum dativo : pacifica tibi erunt 52, 2.
paenitentia (53, 23; *alibi* poenitentia 53, 19; *alibi* penitentia 58, 2): omni orbi terrarum penitentiam intulit 8, 7.
paraphrasis : aequalem et similem 23, 8; corde puro et cogitatione sincera 23, 11; uocat et hortatur ib. 16; simplici et sincera 24, 14; maiestatem et ueritatem 26, 20; tamquam per speculum uidemus 35, 1; peccata et delicta 48, 3.
paratus cum praep. in et ablativo : parati in omni opere bono 4, 5.
passiones Xpisti : 3, 11.
passivum pro activo : seditione quam ... incensi sunt 1, 13.
peccare = deficere : dieta a. tabernaculi tui non peccauit 52, 4.
per praepositio : cum omnis regio dampnata esset per ignem et sulphurem 11, 13; per omnia sanctus 33, 10.
 = a: quae per Deum datae sunt iusticiae 53, 23.
cum ablative : per spiritu sancto cognouistis 42, 12.
per se = tantum : non per se nos 20, 6 n.
peregre : e peregre cum venit 2, 3.
pergula 12, 5.
periculum immittere alicui 45, 5.
perire : *fut.* perient 12, 18; 14, 14?
permittere = incitare : iuuuenibus modica et sancta intellegere permittentes 3, 2.
persecutionem habere 6, 15.
persona : paucae personae superbae 1, 13; sine personarum e. acceptatione 2, 9; propter unam uel duas personas 45, 1.
plasmare 31, 18.
plurimus : quanto plurimae dignati sumus scientiae 39, 13.
pontificatus 41, 3.

positivus pro comparativo : bonum enim homini confiteri ... quam indurare cor 48, 3; tanto libenter ... quoniam 58, 9.
postulare cum infin. : postulemus remitti nobis 47, 17; postulauit ... dimitte se abire 50, 16.
potens cum infinit. potens scientiam edicere 45, 16.
praedicabilis 2, 1.
praetereo, futur. preterient 27, 13.
praeuaricatio : sine omni praeuaricatione 20, 20.
presbyter 50, 2.
primitiuus : de primitiuis ouium suarum 5, 8; preponebant primitiua eorum 40, 3.
principalis : sperare in principale totius creaturae nomen suum 54, 13.
pro praeposito: uereamur eos qui pro nobis sunt 22, 22.
 = *de* : scriptum erat pro epis copis 40, 6; scripsit uobis pro scemetipso et Cefae et Apollo 44, 11.
procidere alicui : procidamus Dominu 45, 7.
proferre, indicat. praesens proferet . 21, 3.
prolatio : prolatione expiatur 39, 9.
promptuarium : promptuaria cordis 22, 15; intrate promptuaria 47, 5.
pronomen relativum cum solo participio praesenti: Qui e. extra uoluntatem illius facientes quid, mortem debitam habent 39, 11; ut eos qui iusto et sine querela propositu seruientes Deo in poenas immittere 43, 6.
propter = de : quid dicemus propter Dauid ... propter quem dixit Deus 18, 14.
propter quod (= quia) : propter quod non possent 37, 20; propter quod non habent 37, 22; propter quod et tunc uos proelia fecistis 44, 12.

pusillanimis 55, II.

παρά sequente dativo nonnumquam redditur praepositione ab cum ablativo I, II n; 15, 10 n.

παροικεῖν = consistere I, 4.

περιούσιος = aeternalis 59, 6.

πρεσβύτεροι ad proiectam aetatem indicandam: 3, I n.

qualiter = *ut* : obsecrationem facientes, qualiter ... custodiat 54, 8.

quam coniunctio ante comparativum : ut quam celerius habeatis pacem 59, 2.

omissa post magis : magisque sui querelam adferunt traditiae nobis ... concordiae 48, 2.

qui pro quis : 46, 5. 19.

qui sita? 21, 5.

quia coiunctio pro qui : quia omnia prospicit 59, 3.

quia cum indicativo pro accusativo cum infinitivo post verba :

intelligere 5, 17; 27, 9.

considerare 8, 8.

palam facere II, 14; 12, 20.

rescire 12, 2.

uidere 13, 2; 25, 3; 32, 3; 42, 7.

scire 12, 12; 32, 16; 59, 1.

promittere 30, 15.

cognoscere 42, 12.

ignorare 43, 7.

obliuisci 43, 22.

quietum : quietum habundantis fraternalitatis 44, 16.

quinquagenarius (= *is qui quinquaginta praeest militibus*) : nec centuriones nec quinquagenarii 36, I.

quod coniunctio cum indicativo pro accusativo cum infinitivo : intellegamus quod sine ira est 20, 14; sciant quod ... se tradent 54, 5.

quoniam coniunctio cum indicat. post verba : cognoscere 52, 3. 5; scire 55, II.

r pro d :

reficimus (= *deficimus*) 47, 16.

reponite (= *deponite*) 52, 15.

recipere : zelum iniquum et impium receptum 5, 4; nefandum zelum et iniquum receperunt 42, 16; recipite epistolam b.a. Pauli 44, 9.

regeneratio 10, 9.

religiosus : municipium religiosorum 47, 4.

remittere cum genetivo : remittit a. inhabitantium domos luteas 37, 18.

resistere contra aliquem : restiterunt contra famulum Dei 48, 5.

respicere : respexit Deus ad Abel et in munera eius 5, 9; respice in caelo II, 5.

resticula 12, 20.

rogo cum propos. infinit. : se ipsum deleri rogit 49, 17.

s pro n : incessi sunt (= *incensi sunt*) 2, I.

pro r : 52, 17? n.

sacerdotale : zelo incidenti de sacerdotali 40, 14.

saeculum : ueniamus ad omnia secula, et consideremus quia in secula poenitenciae dedit locum 8,8.

saluare 54, 19 etc.

saluator 55, 3 etc.

sanctificare 43, 13; 55, 6 etc.

scandalizare 44, 3.

scissura : omnis scissura et contentio 4, 3; scissurae et proelium est in uobis 43, 17; scissura uestra multos peruerit 44, 6 etc.

scema pro scamma : in eodem escemate sumus 8, 1.

sculptilis : feceruntque sibi sculptilem 49, 7.

secundum : secundum municipia... predictantes 40, I.

secus : secus uoluntatem Dei 21, 7.

sed pro et post consonantem s 45, 2 n.

seditio 49, 20; *contra sedicio* 50, II.

- seminatio 25, 14.
 senecta 11, 9 ; 58, 22.
 silere : silebit a timore malignitatis 53, 13.
 silvester, *nominat. plur.* siluestrae : bestiae enim siluestrae pacificae tibi erunt 52, 2.
 sinceres = *sinceri* : sinceres et integri fuistis 4, 1.
 stabilitio 55, 14.
 stabilitus = *stabilis* : stabilitam fidem vestram 2, 4 ; stabilitam et antiquam Corinthiorum aeclesiam 44, 18.
 subitaneus 1, 9.
 sufficienter 58, 1.
 sulphur *masc.* : per ignem et sulphurem (*conf.* Tertull. Prax. 16).
 sumere = *capere* : terram istam. Cum ergo erit uobis sumere illam 12, 14.
superlativum pro positivo : 33, 2. 5 ; 50, 15 ; 54, 10 etc.
 surrectio 25, 12. 13.
 susurratio 29, 12, etc.
 suus et eius : in sua humilitate iudicium eius sublatum est 16, 21 ; aduersus pueros eius non credit, aduersus autem angelos suos 37, 15.
syllaba inserta : magnificantiae (= *magnificae?*) 9, 21 ; immortalitatis (= *immortalis*) 35, 4 ; uideamus (= *uideamus*) 42, 7 ; inuocatio (= *uocatio*) 43, 20 ; miserabilis (= *mirabilis*) 46, 18 ; 56, 1 ; expectare (= *specitare*) 47, 19.
syllaba omissa : cogminabatur (= *cognominabatur*) 11, 23. gentium (= *egentium*) 15, 11 ; regione (= *religionem*) 43, 3 ; dixerunt (= *direxerunt*) 45, 14 ; opibus (= *operibus*) 45, 17 ; erudimi (= *erudimini*) 52, 13.
syllaba male repetita : in insipientia *pro* insipientia 48, 11 n.
 t pro c : audatia 29, 19 etc.
 pro d : 44, 15 n.
 pro i : 3, 10 n ; 59, 10.
 pro r : 51, 22 n.
 tantum *ante comparativum* : tantum maior angelorum, quantum precellentem 35, 6.
 temerare *post t pro* enarrare 46, 5 n.
 tempus : peste quadam instante per tempus 50, 8.
 terrigena 37, 11.
 timere *cum genetivo* : non timebis malorum superuenientium 51, 23.
cum ab et ablativo : a bestiis feris non timebis 52, 1.
 totus, *dat.* toto : apta toto corpori 36, 8.
 tradere : tradiderunt se in morte 50, 9.
 tremere : trementem uerba mea 14, 2.
 tribulatio 53, 5.
 tribulor *depon.* : tribulantes salua 55, 8.
 τιμᾶν = fungi 42, 8 n.
 Θεός *pro αὐτός saepissime* : 8, 4 ; 10, 6 ; 15, 7 ; 25, 5 etc.
 u pro b : 16, 22 ; 19, 21 ; 33, 19 ; 34, 15 ; 50, 1 ; 52, 4 ; 53, 13 ; 54, 7.
pro n : 51, 6 et alibi *saepissime*.
pro o : dominatur spirituum 59, 3.
u geminata : euangelizati sunt 39, 15.
u omissa : propter zelum iniqum 6 18 ; 42, 13.
 uagari (?) : questionibus uagari et committere 48, 1.
 ubi *pro quo* : ubi fugiam... ubi aliquis ibit et quo fugiet 28, 6. 10 ; uado ubi uolueritis 49, 20.
 uenire : uenerant explorare 12, 2 ; iugo gratiae eius per eum uenimus 17, 16.
 uerecundari : uerecundemur seniores 23, 1.

- uerinus : tempora uerina 21, 12.
 uinculatus : libera uinculatos nostros
 55, 10.
 uiscera habere *ad aliquem* 24, 12.
 uisitator 55, 3.
 uiuificare 54, 19.
 umor 26, 6.
 unus, *genetiv.* uni : nomen ueri et
 uni 41, 10.
 uocare *cum infin.* : uocauit nos...
 sperare in principale 54, 11.
 ut *cum indicativo pro coniunctivo* :
 in tantum temeritatis ut... ualde
 est lesum 2, 3.
cum infinitivo : in tantum con-
 tenderunt furoris ut... immittere
 43, 5 ; ita ut blasphemiam infer-
 ri... uobisque periculum immit-
 tere 45, 4.
 uulgaris : uulgares contra honora-
 tos 4, 14.
 x *proc* : 8, 17 ; 9, 7 ; 10, 17 ; 14, 14
 etc.
 ysopus 19, 10.
 zelotipus 42, 10.
-

CORRIGENDA

Pag.	pro	lege
16, 15	iniiquitates	iniquitates
8, 5	Christo	Xpisto

Princeton Theological Seminary-Speer Library



1 1012 01130 8766

Date Due

~~FACULTY~~

~~APR 16 1975~~



